

Rubr. XVIII. Nro. 25. f.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

- 1) Joach. Hildebrand de Sacris publicis Veteris Ecclesie, Helm. Acad. A. 1722.
 2) Jo. Jan. Schöpflinus de Sacris Gallia Regum in Orientem Expeditionibus, A. 1724.
 3) Gottl. Fred. Jenichen Examen Bulla Clementis XI. contra Novum Test. P. Quesnelii, C. A. 1724.
 4) Christ. Henr. Schilling Historia Bulla Clementis XI. Unigenitus, H. A. 1724.
 5) Christ. Matth. Pfaffius de Bulla Unigenitus, T. A. 1724.
 6) Jel. de Fragmentis Jenai Anecdotois, deque Inlatione et consecratione Veterum Eucharistica, T. A. 1724.
 7) Georg. Christoph. Platz de Religione Sepulchrum, C. A. 1725.
 8) Petr. Adolph. Boyen de Apostolica merito et falso suspectis, H. A. 1724.
 9) Jo. Wilh. Bayens de Paulo Samoletano.
 10) Jo. Georg. Walch de Samosateni anno Neoterici, J. A. 1730.
 11) Medicina de Veterum Symbolorum in Article de Spiritu Sancto discrepantia, J. A. 1730.
 12) Christ. Kortholt Dicq. II. de Ecclesiis Suburbicariis, C. A. 1730.
 13) Jo. Wilh. Börger de Trajanis non optime, Videb. A. 1725.
 14) Georgius Remus de Commento, Alexandrum III. calcasse collum Imp. Frideric I. C. A. 1725.
 15) Gottl. Wernodofius de Gabriele Biel, V. A. A. 1729.
 16) Jel. Fanaticis Selectionum et Speciationum Quirino Ruhmanni, V. A. 1733.
 17) Gest. vita us de Henrico Zulphanico, Pr. A. 1722.
 18) Tr. de VII. Dominentibus, C. A. 1725.
 19) Just. Henr. Bich menu de iure circa jejunantes abstinentes et jejunos, H. A. 1722.
 20) Jo. Henr. Majus de eucristismo Origenis Adamantii, G. A. 1708.
 21) Jo. Christ. Guerizzi memoria Georgii Winckleri, H. A. 1729.
 22) Georg. Christ. Bohnstedt de Cyriaco Lucani, H. A. 1724.
 23) Jo. Wolfgang Examen Quæstiōni, F. A. 1725.
 24) Jo. Frid. Mayer de Joanne Bidello, H. A. 1700.
 25) Theod. Hornus de Philippi Arabis, Augusti, Fidei Christiana, G. A. 1693.
 26) Mart. Lubatti de Antiquitate Martyrologia, H. A. 1693.
 27) Coop. Heinrichius de tempore captio et Turco ubi Constantiopolitana, S. A. 1664.
 28) Christ. Schultzeus de Iudeo non mortale, F. A. 1734.
 29) Jo. Adolph. Hartmannus de Helena Constantini M. Imp. matre, M. A. 1733.
 30) Georg. Henr. Goetzius de baptismi canpanarium, C. A. 1722.
 31) Jo. Lehmanni infelix paupera Joannes VIII. Pontifex, V. A. 1669.
 32) Theod. Hafsa de Decreto Tibeni Imp. quo Christum referre voluit in numerum Doctorum, E. A. 1715.
 33) Jo. Frid. Hebenstreit de studiis Egnatii Stabiae, F. A. 1720.
 34) Christ. Wolffius de honoribus medicorum apud veteres, C. A. 1702.
 35) Jo. Gottl. Heinricius de genuina Nativitate Christi ora, H. A. 1708.
 36) Jo. Phil. Heinius de agno, Christi imagine, H. A. 1729.
 37) Erdt. Henr. Edzardus de Cygno, ante mortem non canente, V. A. 1722.
 38) Jo. Christ. Wolffius de carcere, crudeliorum misero, V. A. 1728.
 39) Jo. Joach. Langius de Naturalibus (utheri Reformato) doctibus, H. A. 1730.
 40) Jo. Andre. Schmidt de annulo pastorali, H. A. 1727.
 41) Em. Frid. Neubauer de Cardi V. meritis in Augu Stanam Confessionem, H. A. 1730.
 42) Jo. Pet. von Ludewig Rombergi. In Col. - Rost. Sub glor. Com. - festo cum Programmate Seculare, H. A. 1730.
 43) Just. Henr. Bohmer Oratio Secularis de Mentis Augustana Confessionis in rem iuridicam et Dicq. de
beneficiis Juris Augustana Confessionis, H. A. 1730.
 44) Em. Frid. Neubauer de Reformatione Lutheri, aliasque Disputationibus incepta ac propagata, H. A. 1730.

A2

Q. D. B. V.

COMMENTATIO
HISTORICO - ECCLESIASTICA
DE
ECCLESIIS SVBVRBICARIIS.

CONSENSU
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
LIPSIENSIVM ORDINIS,
PRAESES
CHRISTIANVS KORTHOLTVS A. M.
KILONIO - HOLSATVS,
HORIS ANTEMERIDIANIS SINE RESPONDENTE,
A MERIDIE AVTEM
RESPONDENTE
IOANN. GEORGIO WALTHERO,
MARGLISSA - LVSATO,
PROPALAM TVEBIT VR.

LIPSIAE, DIE VIII. IVLII ANNI SAECVLARIS CID IDCC XXX.

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

EDVNDVS RICHERIVS,
DOCTOR SORBONICVS,

Hist. Concil. gener. lib. I. cap. II. n. 13. p. 53.

RUFFINVS verbis suis de Ecclesiis
Suburbicariis absolutae Monarchiae
fautoribus litem irreconciliabilem
indixit.

JOANN. GREGORIO. WALTHEO.

MAGISTER. TUSATO.
TROPHAGA TERRITAR.

ET TERRI. BREVI. TERRITANIS.

VIR MAGNIFICUS / SUMME
VENERABILIS

VIRO
MAGNIFICO, SVMME VENERABILI
ATQVE EXCELLENTISSIMO

BERNHARDO GVALTHERO
MARPERGERO,

SACRO SANCTAE THEOLOGIAE
DOCTORI CELEBERRIMO,

SACRORVM AVLAE REGIAE ET
ELECTORALIS SAXONICAE PRIMARIO
ANTISTITI, CONSILIARIO ECCLESIASTICO,
ET CONSISTORII SUPREMI ASSESSORI
LONGE MERITISSIMO.

VIR MAGNIFICE, SVMME
VENERABILIS
ATQVE EXCELLENTISSIME,
PATRONE INSIGNITER
COLENDE,

BERNARDI GAELTHERO
MARPERGERI



X quo Alma Lipsia me dulci
sinu complexa est, memini
me MARPERGERI-
ANVM Theologi Saxo-
niae primarii toti erudito-
rum orbi dudum cognitum nomen frequen-
ter & quotidie inaudire. Hic exegeseos,
quam vocant, sacrae intelligentiam; ille mo-
ralis Theologiae notitiam; alias alia TVA
promerita maxima & immortalia mibi lau-
dabat

dabat vehementer , & commendabat intime.
Neque desunt qui cognitionem Historiae sa-
crae sive Ecclesiasticae **TIBI** familiarem
ac propriam esse arde tenent. **Quid ad**
partes TIBI, VIR SVMME, dela-
tas conuenientius, ad ciuitatis **DEI** in-
crementa vtilius, aut ad nominis **TVI** ce-
lebritatem Splendidius praestare possis ? Ic-
circo Fautori suo insigniter & praeципue ve-
nerando sistere se audet dissertatio mea, Pon-
tifici Romano eiusque Purpuratis & adiu-
toribus potissimum opposita, de Ecclesiis
suburbicariis, quam haustam ex historia
sacra, in qua operae studiique plurimum
consumo, **TIBI, THEOLOGE CE-**
LEBERRIME, ex more antiquo dico
& dedico. **Vna maximopere a TE** quaeso,
ut pro singulari beneficentia **TV A** in fidem
me recipias, & solam voluntatem meam san-

*Etiora litterarum studia pro virili prouehe-
di approbes, benevolentiamque TVAM,
si mereor, mibi impertiri velis. Sic supre-
num Numen inuocabo, ut felicissime valeas, &
floreas, quam diutissime ciuitatis DEI do-
ctrinarumque omnium bono & commodo feli-
cissime.*

TVI,

VIR MAGNIFICE ET SVMME
VENERABILIS,


PATRONE SVMME,

LIPSIAE, KL. IVLIT
GID ICCC XXX,

OBSERVANTISSIMVS OBSEQVIO-
SISSIMVSQVE

M. CHRISTIANVS KORTHOLTVS.

PRAE-



PRAEFATIO.

Dissertationem Tibi, Benevoli Lector, offero de Ecclesiis suburbicariis, sive quod idem est, de dioecesi Episcopi Romani, quam habuit sub initium saeculi quarti. Argumentum ita comparatum est, ut illi non tam nouitas gratiam, quam vestitas premium, & innumerae a maximis viris motac controversiae celebritatem addant. Nemini nisi peregrino & hospiti in antiquitate ecclesiastica ignota esse possunt crudita certamina saeculo septimo & decimo inter Gallos, Italos & Belgas de his ipsis ecclesiis non sine vehementi animorum contentione instituta. Qua quidem occasione et si documenta huc facientia e priscis scriptoribus magna industria delecta, & summo ingenio examinata sunt; bene multa tamen in scriptis de hac materia laudabili consilio editis merito desideres. Ego certe ea versando, non modo errores grauissimos; sed etiam difficultates summas a nemine etiamnunc remotas, reprehendere mihi vixsum. In his erroribus detegendis atque in his difficultatibus superandis bac mea dissertatione pro virili parte claboro. Neque tamen id mihi sumo, me huic instituto meo cumulatissime satiescisse. Probe enim scio nusquam facilius & prolixius nos decipi, quem in historia primorum post Christum natum saeculorum controversa; ubi comparis aetatis scriptorum testimonis idoneisque suffragiis destituti, sine prolapsonis periculo tuto progredi vix possumus. Intelligo me scrupuloso in loco & in via aspera versari. Difficile est quod conor, inexplicabiles nodi mihi sunt expediendi. Quid autem praelarum, inquit TULLIVS, non idem arduum? Mearum partium est medium quendam cursum tenere, nullam in partem me mouere, nihil occultare, nihil

PRAEFATIO.

nihil dissimulare. Sincera igitur fide polliceor, me sine fraude omnia propositurum & veritatem unice sectaturum. Quod fortassis non fecere nonnulli pontificii scriptores, qui in definendis suburbicariis ecclesiis maiorum nauerunt operam, ne Pontifici Romano obessent; quam ut veram sententiam e veteribus indicis & monumentis intentissima cura eruerent. Cuius quidem promissi mei sumnam si compleam, rem omni vilitate caritatem, aut partes ante me iam occupatas, mihi suscepisse non videor; propterea quod nemo, qui sacra diuini Numinis auspicio LV THERI opera repurgata proficitur, hoc argumentum, quod sciam, sibi dedita opera pertractandum sunserit. Illud tamen utique e praecipuis est, quae ex historia ecclesiastica pontificis doctoribus, monarhicum regimen, quo in universam ecclesiam sibi vindicat Papa, defendantibus, felici successu opponi possunt. Sed argumenti mei praestantiam & vilitatem, controversiam de Ecclesiis suburbicariis diligentius examinando, latius demonstrare & apertius declarare ingredior.

In ea diuidicanda ita versor; vt sectione prima varias scriptorum de Ecclesiis suburbicariis sententias, optimis praestantioribusque suis argumentis munitas, ex ipsis eorum, quae oculis subiect, scriptis fideliter recenseam. Minime quidem me practerit iure meritoquo incusari nimiam aliquorum diligentiam; quam ad recensendas varias sententias conserunt. Sed ut hoc loco propterea in suspicionem inutilis posita opera incurram non vereor. Nam comparando documenta, quibus unusquisque scriptorum in defendenda sua de Ecclesiis suburbicariis opinione vitetur, non temenda ad veritatem perueniendi via mibi commonstrari videtur. Ad id etiam proderit, vt eo melius sectione secunda diuersas auctorum de ecclesiis suburbicariis sententias ex momento suo ponderare queam. Inibi enim quid in explicationibus de ecclesiis suburbicariis hucusque allatis merito desiderem, idoneis adhibitis argumentis profero. Sectione autem tertia meam de ecclesiis suburbicariis sententiam expono uberiori & communio. Sectione denique quarta eaque ultima quodnam omnis huius controversiae pondus & momentum sit sollicitius inquiero. Summum Numen conatus meis diminutus annuat!

SECTIO

SECTIO PRIMA HISTORICA.

*Varias scriptorum de Ecclesiis suburbicariis
sententias breuiter exponens.*

§. I.

Historiam dissensionis inter doctos quisquis trahere instituit, eum ante omnia oportet de origine controuersiae esse solicitem. Cui quidem officio ut satisfaciam studiose curabo. Saeculo circiter tertio synodo quadam statutum & decretum erat, vt Episcopi vnius prouinciae penderent a iudicio illius, qui in metropoli Episcopus esset. En ipsa Canonis verba: Τὸς ἐπισκόπους ἑνὶς εἴθεται χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πράττον, καὶ ἡγεμόνα αὐτὸν ὁ εφαλήν, καὶ μηδὲν τι πράττειν περὶ τὸν ἀγέντα τῆς ἐκκλησίας γνώμην &c. (1) Quae lex, quamuis sub initium in aliquibus tantum prouinciis obtinuerit & obseruata sit, successu tamen temporis plurimis utique prouinciis visitata fuit & perulgata. Qum enim in Imperio Romano in metropoli grauiores totius prouinciae controuersiae ciuiles deciderentur, ciuilia haec instituta in politia sacra do-

A 2 cumen-

*Occasio con-
troversiae de
Ecclesiis sub-
urbicariis.*

(1) Vid. Can. XXXIV. apost. in GVL. BEVEREGII Pandectis Canonum T. I. p. 22. Episcopos vniuersiusque gentis (prouinciarum) nosse oportet eum, qui in eis est primus, & existimare eum ut caput, & nihil facere magni momenti praeter illius sententiam. Huius Canonis interpretatione est Canon IX. Concilii Antiocheni; vbi explicite dicitur: τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προσώρᾳ Ἐπίσκοπον καὶ τὸν Φροντίδην αὐτοῦ παῖδα τῆς ἀρχῆς, Episcopum, qui praest metropoli & curam suscipere totius prouinciae. confer. Beuereg. l. c. p. 438.

cumenta fuere, quae ad imitationem sibi proposuere. Ut eruditissimi viri dudum obseruarunt. (2) At vero quum saeculo tertio nondum tot essent in ciuitatibus primariis Episcopi auctoritate pollentes, quot erant metropolitani iudices; vsu venit, ut nonnulli Episcopi Metropolitae etiam in Episcopos vicinarum prouinciarum potestatem sibi temere vindicarent. Ex annalibus & historicis documentis constat, non modo Episcopum Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, sed etiam Carthaginem (3) Mediolanensem (4) & alios eius modi ius sibi sumfisse & arrogasse. (5) Id quod manifesto refragatur canonii apostolico XXXIV, quem modo protuli, vbi vni Metropolitae in viuis prouinciae ciuilis Episcopos iurisdictio conceditur. Hanc praepotentiorum Metropolitarum arrogantiam non poterant non aegre ferre nonnulli itidein in metropoli constituti Episcopi, qui iuribus suis hoc ipso se priuari sibi videbantur. Vnde etiam procul dubio euenit ut **M E L E T I V S**, qui in metropoli Thebaidos Lycopoli constitutus erat Episcopus, neque tamen metropolitica gaudebat potestate, sub initium saeculi quarti, ordinando in Aegypto Episcopos metropoliticam potestatem

(2) vid. **Viri Magnifici & Venerab. D. S A E O M. DE Y L I N G F F**
Faut. & Pracept. mei aetumacissimi dissert. II. de Nouitate Regim. Monarch. in Eccles. vniuersam, quam sub Eius praefidio hoc ipso anno me defendisse honori mihi duco; th. VI. p. 44. seq.
De exceptionibus ab illa regula obseruationes selectas comprehendas in **Viri Summi D. I O. I A C. M A S C O V I T**, Patroni mei praecipue venerandi, dissert. de Primatibus & reliquis Episcopis Eccles. german. Lips. 1729. habita, §. VII. p. 8.

(3) vid. **B E V E R E G I V S** in annotat. ad Canones Concil. p. 26.

(4) conf. **S A L M A S I I** Eucharisticon de region. & ecclesiis suburbicariis P. II. Cap. IV. p. 547.

(5) Euoluatur **I O S. M O T T E** dissert. de Iure Metropolitico Vetus 1726. edita §. XC. p. 116. §. XCII. p. 118.

tem reāpse usurpauerit; (6) quam Alexandrinus Episcopus sibi tantum sumserat & successu temporis vindicarat. (7) Nolebat Alexandrinus Episcopus potestate, qua iam per plures annos erat vius, cedere. Eo igitur rem adduxit, ut **MELETIVS** synodi prouincialis Alexandrinae consensione a sacro munere remoueretur. Neque tamen Alexandrinus Antistes huius synodi decreto Meletianos conatus omnino poterat reprimere. Iccirco, quum eadem tempestate anno **CCCXXXV** Concilium Oecumenicum primum Nicaeae in Bithynia ob **ARI** peruersa dogmatā celebraretur; ibidem etiam controuerfiae, quas inter se **MELETIVS** & Alexandrinus Episcopus habebant, sedatae penitus & finitae sunt. Etenim in epistola synodica in Concilio Nicaeno elaborata **MELETIO** omnis interdicitur potestas Episcopalis, solo Episcopi nomine eidem relieto. (8) Neque vero tantum Nicaeni Patres e re esse ducebant in **MELETIVM** animaduertere; sed etiam Alexandrino Episcopo, immo omnibus Metropolitis, qui ita Episcopos vicinarum prouinciarum ius usurpauerant; quam consuetudine sibi vindicarant potestatem vindicandam, eamdemque contra omnes obiectiones mu-

A 3

nicip-

(6) **EPIPHANIVS** Haeres. LXVIII. p. 1. T. I. oper. f. 717. de Meletio, καὶ καθ' ἑκατὸν, inquit, χώραν, καὶ καθ' ἑκατόν τόπον διερχόμενος, καθίσται πληρωτέος, Ἐπισκόπος τε, καὶ Πρεσβύτερος, καὶ Διάκονος, καὶ ὕποδόμου ἐκκλησίας ἰδος. Index Episcoporum a Meletio ordinatorum in Aegypto extat in **ATHANASI** operibus T. I. p. 187. edit. Monach. Bened. Parif.

(7) vid. **EPIPHANIVS** I. c. τέτο γράφεις ἔστι, τόσον εἰ τὴν Ἀλεξανδρίαν Ἀρχιεπισκόπου πάντας Λιγύπτας καὶ Θρακίδος, Μαρμαΐτας, καὶ Διένις, Διμιανίκης, Μαρμαΐτιδος τε, (forsan Μαρμαΐδος) καὶ Πενταπόλεως ἔχει τὴν ἐκκλησιαστικήν διοικησιν.

(8) Legitur haec epistola synodica in **THEODORET** Histor. Eccl. lib. I. cap. 9.

niendam esse arbitrabantur. Igitur quum Canone quarto illorum Metropolitarum iura, qui in unius tantum prouinciae Episcopos iurisdictionem habebant, firmassent his verbis: τὸ δὲ κύρος τῶν γνωμένων διδόθει πατρί ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ: (9) Sexto etiam Canone de illis Metropolitis sanxerunt; qui reliquis auctoritate antecellebant, eorumque in plurimum prouinciarum Episcopos potestatem generatim, adeoque etiam illam, quae sigillatim circa Episcoporum ordinationem versatur, stabiliebant. Quem quidem

*ex Canonone
Vlto Nicae-
no & qui-
dem*

Vltum canonem Nicaenum, quum eidem omnis de ecclesiis suburbicariis controuersia potissimum innatur, integrum hoc loco exhibeo: τὸ δεχάσαι ἔθη πατρέτο τὸ ἐν Ἀγύπτῳ καὶ Διεύῃ καὶ Πενταπόλει, ὡς τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τέτων ἔχει τὴν ἐξουσίαν. Ἐπειδὴ καὶ τὸ ἐν τῇ Ρώμῃ ἐπίσκοπό τέτο σύνθετον. Ομοίως δὲ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα πολέμα ταῖς ἐκκλησίαις· καθίστα δὲ πρόσδηλον ἐπενοῦ, ὅτι εἰ τις χωρίς γνώμης τὰ μητροπολίτες γένοιτο Ἐπίσκοπος, τὸν τοιότον ή μεγάλη Σύνοδος ὀριστε μὴ δεῖ εἶναι Ἐπίσκοπον. Εὖν μὲν τοι τῇ κοινῇ πάντων Φίλων ἐνέργειαν, καὶ κανόνας ἐκκλησιαστικὸν δύο ή τρεῖς διοικέειν φιλονεκίαν ἀντιλέγωσι, πρατείτων τῶν πλειόνων Φίλων. (10) Nemo

(9) h. e. eorum autem quae sunt confirmationem, in unaquaque prouincia a Metropolitano fieri.

(10) h. e. Antiqui mores seruentur qui sunt in Aegypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat, quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis prouinciis, sua priuilegia ecclesiis seruentur. Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitani sententia factus est Episcopus, cum magna synodus definiuit non esse Episcopum. Quod

Nemo non intelligit hoc Canone dioecesia Episcopi Romani non quidem determinari & definiri; interim tamen ad eamdem prouocari, eo consilio, vt Romani Episcopi potestas Alexandrino, & aliis eiusdem dignitatis Episcopis exemplo esse possit. **R V F F I N V S** autem Presbyter Aquileiensis, qui circa annum Christi cccc, ideoque eodem adhuc saeculo quo **Canones Nicaeni conditi sunt**, historiam ecclesiasticam edidit, in illa synodi Nicaenae sextum **Canonem interpretatus est**, & Episcopi Romani dioecesin diserte & totidem verbis expressit. Ita enim Canonis verba huic pertinencia exponit: *ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo conservetur, qua vel ille Aegypti, vel bic* **S V B V R B I C A R V M E C C L E S I A R V M** e Ruffini in-
terpretatio-
ne repetita
da est.

solicitudinem gerat. (ii) Quae quidem Ruffiniana interpretatione, quum quaenam Episcopi Romani tempore Concilii Nicaeni fuerit dioecesis explicate definit; liquidius patet, quodsi nobis constet, quaenam fuerint ecclesiae suburbicariae; manifesto etiam teneamus, quam late sub initium saeculi quarti Episcopi Romani potestas se extenderit.

§. II.

Quum hanc Nicaeni Canonis interpretationem foras emitteret **R V F F I N V S**, non poterat non notissimum esse, quaenam sint suburbicariae ecclesiae. Sed aeuo sequenti suburbicariae ecclesiae definiri tam facile non poterant. Quod nemini mirum videbitur per-

penden-

Diuersae
scriptorum
de Eccles.
suburb. sen-
tentiae ad
duas classes
reuecantur.

si quidem communis omnium electioni, quae & rationi consentanea, & ex regula ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam, qua delectantur contentionem contradicunt, vincant plurimum suffragia. vid. Beveregium in Pand. Can. T. I. p. 66.

(ii) **R V F F I N I** Historia Eccles. lib. I. cap. VI p. 203. ex edit. Grynatii,

pendenti, successu temporis plane aliam faciem prae se ferre coepisse Romanum imperium eiusque diuisio- nem. In Imperio autem Romano fuisse ecclesiæ sub- urbicarias qui neget est omnino nullus. Non defuere quidem e Graecis, qui Episcopo Romano grauter sese opposuere & in eius dioceſeos terminos ac limites in- quisuere. Sed quum Graeci Orientem tantum ab Episcopi Romani iugo immunem esse defendere necesse haberent; opus non fuit, vt de potestate Episcopi Ro- mani in Occidente admodum essent solici. Huc ac- cedit, quod Ruffinianam interpretationem latine ador- natam Graeci parum consuluere. Proinde facilis est diuinatio, quare apud illos nobis non sit seruata me- moria genuinae ac verae notionis ac definitionis subur- bicariarum ecclesiæ. Scriptores autem Occiden- tis eamdem haud conseruasse mirabitur nemo, qui con- siderabit, sequentibus saeculis integrum non fuisse in actiones Pontificis Romani temere querendo inuesti- gare. Quum igitur de suburbicariarum ecclesiæ terminis, quibus sepræ tenerentur ac circumscriberen- tur aperte omnibus tum temporis non constabat; haec res saeculo praecipue septimo & decimo pluribus con- trouersiis occasionem aperuit. Qua quidem occasio- ne in varias abidere sententias de definiendis harum ec- clesiæ terminis solici. Eas quamvis admodum diuersas, ad duas tamen classes generatim reuoco; vt ordinem habeam, quem in recensendis & examinandis hisce variatis opinionibus sequar. In eo enim genera- tim discrepant, quod alii **R V F F I N I** interpreta- tionem Canonis sexti Nicaeni, quæ omni huic discepta- tioni præbuit ansam, admittant, aliis eamdem omnino reiicientibus. Hi dioceſes in Episcopi Romani, quæ Eccle-

De Ecclesiis Suburbicariis. 9

Ecclesiis suburbicariis respondeat, non admodum currant & morantur, & vnuſquisque singularem de Ecclesiis suburbicariis fouet opinionem. Illi, quum R V F F I N V S per suburbicarias ecclesiias dioecesin quamdam sive regionem Episcopi Romani manifesto definiat, de aliqua Episcopi Rom. dioecesi, &c, vt pontificiū doctores tenent, speciali suburbicarias Ecclesiis expontandas esse opinantur. Omnes autem non consentiunt de dioecesi, quae ecclesiis suburbicarias comprehendat. Videlicet placuit tantum non omnibus pontificiis doctribus; vt Episcopo Romano praeter Episcopatum tres speciales dioeceses tribuant; quas diuersa teneat ratione. Vel enim, inquiunt, considerari potest vt Metropolita, vel vt Primas, vel vt Patriarcha. Id cauſſae est, cur scriptores huic parti addicti Ecclesiis suburbicarias vel Patriarchalem, vel Primatianam, vel Metropolitanam Episcopi Romani dioecesin denotare tueantur. Prout vero vnuſquisque Patriarchalem, Primatianam vel Metropoliticam dioecesin animo concipit, ita etiam ſigillatim Ecclesiis suburbicarias determinat; atque fines, quibus circumscriptae fuerunt, indicat. Qua ratione vt iterum inter ſe diſſident atque discordant; ſic etiam omnes eamdem defendantes ſententiam, iisdem argumentis ad illam communieandam non utuntur. Operae pretium eſt, vt vnuſquamque ſententiam cum argumentis ſuis praeципuis, ſecundum diuisionem meam in duas partes diſtributam, ex ſcriptis quae conſulere mihi licuit, fideliter recenſere ingrediar.

§. III.

Et primo quidem loco illorum mihi commemo-
randa ſententia eſt; qui R V F F I N I interpretationem

Baronii,
qui Ruffini
interpretat-

B

nullius

*is nonem rei.
cit, de Eccl.
suburb. sen-
tentia.*

nullius ponderis esse existimant. In iis principem locum
merito sibi vindicat illustrissimus Purpuratus C A E S A R
BARONIVS (12). **BARONIVS** quum primum animum ad
scribendum annales appulit; id sibi negotii solum da-
tum creditit, Pontifici ut placerent, quas fecisset fabu-
las. Quid mirum cum exponendo Canonem sextum
Nicaenum, Pontificis caussae omnibus modis pro vi-
rili parte consulere. Obseruat in Concilii Chaleedo-
nensis Act. XVI. a Paschasiano Pontificis Legato Ni-
caenum Canonem praefixo hoc initio recitari: *Eccle-
sia Romana semper habuit primatum.* Cui quidem fun-
damento innixus & sibi & aliis persuadere annititur,
Canone hoc Alexandrino atque Antiocheno Episco-
pis ex more concessum priuilegium confirmari, vt in
subiectis sibi prouinciis locum obtineant sedis Aposto-
licae Romanae. At enim uero cum hac Baroniana ex-
positione Russiniana illa interpretatio non omnino con-
spirat & consentit. Quippe quae eamdem potestatem
Antistiti Alexandrino in Aegypti ecclesiis, quam Ro-
mano in suburbicariis diserte tribuit; neque etiam reliquos Episcopos, quorum hoc Canone fit mentio, vt
Vicarios Episcopi Rom. considerat. Iccirco non du-
bitat **BARONIVS** Russinianam interpretationem re-
iicere, quam nullo loco habendam dicit; motus etiam
HIERONYMI testimonio, qui **RUFFINO** im-
peritiam atque obscuritatem stili obiicit. Neque ta-
men omnino neglit **BARONIVS** illam quaestio-
nem; quaenam sint suburbicariae ecclesiae? Sibi per-
suaderet suburbicarias siue urbicularias regiones easdem
esse cum annonariis & dictas esse, quae vrbi debeant

anno-

(12) vid. **BARONII** annales T. III p. 353. seq. ad ann. 325. n. 133,
134, 135.

annonam, eidemque peculiari nexus sint obstrictae, atque inde euincere studet; eodem exemplo pariter appellatas esse Ecclesiis suburbicarias, quae Romanae ecclesiae imperio praeceteris subditae viderentur. In illis autem ecclesiis sigillatim enumierandis nullam operam collocat.

§. IV

Simillimus & maxime geminus est **B A R O N I O** Bellarminus
CARDINALIS BELLARMINVS in respuenda & improbanda interpretatione **R V F F I N I**. De ipsis ecclesiis
suburbicariis non admodum laborat, quas sex Episcopatus
Romae viciniores fuisse sine villa dubitatione &
sine villa probatione nimis fidenter affirmat. (13) Perinde
quasi vereretur ne nodum quaereret in scirpo.

§. V.

Enumerata illorum scriptorum de Ecclesiis suburbicariis opinione, qui **R V F F I N I** interpretationem reiiciunt, & tamen in definiendis Ecclesiis suburbicariis adhibent curam; secundum diuisionem supra allatam, (§. II.) accedo nunc ad scriptores alteri classi addictos, qui praeente **R V F F I N O**, de Ecclesiis suburbicariis iudicium ferunt. Illorum maior copia est. Primum commemorabo illos, qui Ecclesiis suburbicariis de Patriarchali Episcopi Romani dioecesi interpretantur. Igitur ad eruditissimi Iesuitae **I A C O B I SIRMONDI** sententiam ducor. Is, ne iisdem limi-

B 2 tibus

Sirmondi
nomini Eccl.
suburb. de
Patriarcha-
tu Occiden-
tis interpre-
tatur.

(13) **V. BELLARMINVS** in controversia Christianae fidei T. I. lib. II. cap. XIII. n. VIII. p. 355 edit recent. Pragensis. Non autem mihi, sed Bellarmino virtus vertas, quod inibi deprehendas, eum de suburbanis prouinciis loqui. Nam I. c. n. VII. etiam Ruffinum, nescio quo errore, de suburbanis ecclesiis loquentem introducit. Quocirca suburbanae ecclesiae illae sunt Bellarmino, quas Ruffinus suburbicarias dicit.

tibus Episcopi Romani dioecesin circumscribi patiatur, quibus prouinciae suburbicariae finiuntur, prouincias suburbicarias ab ecclesiis eiusdem nominis diuersas esse propugnat. (14) Prout variae sunt vrbicae dioeceses & potestates, ita etiam nomen prouinciarum suburbicariarum diuersimode accipi opinatur, quod modo de binis modo de decem prouinciis usurpari arte tenet. (15) Ita etiam se se rem habere defendit, quum de Episcopo Romano dicatur, illum suburbicariis ecclesiis praesse, ut adeo non ex notione vocis *suburbicarii* de dioecesi Episcopi Romani; sed ex dioecesi Episcopi Romani de notione vocis *suburbicarii* iudicium fieri debeat. Quae-nam autem est Episcopi Romani dioecesis, de qua Canone Vito Nicaeno agitur? Iam supra obseruauit, M E L E T I V M Episcopos in Alexandrina dioecesi ordinantem huic Canoni condendo occasionem aperuisse. (§. 1.) Illud etiam non negat SIRMONDVS. At, inquit, Meletius non unam, sed omnes Aegyptiacae dioeces eos regiones turbabat. (16) Sed quid inde? Episcopos, inquit, in diuersis prouinciis ordinare, quis umquam ius Metropoliticum, & non Primatis aut Patriarchae ius aut praerogativam appellauit? (17) Itaque de sententia SIRMONDI Canone sexto Nicaeno Alexandrini Episcopi iura Patriarchalia contra Meletianos ausus communita sunt. Quum autem inter Episcopum Alexandrinum & Romanum comparatio insti-tua-

(14) SIRMONDVS in Propemtico adversus Salinasii Eucharisticon de suburbicariis regionibus & ecclesiis Parisis 1622. fin. 8. edito. lib. II. cap. I. p. 137.

(15) vid. SIRM. I. c. lib. I. cap. VII. p. 97.

(16) SIRMONDVS I. c. lib. II. cap. I. p. 147.

(17) Idem I. c. p. 145.

tuatur; consequens est ut per suburbicarias ecclesias hoc loco Patriarchalem Episcopi Romani dioecesin, siue, quod idem esse propugnat, omnes totius Occidentis ecclesias, intelligere debeamus. En ipsum SIRMONDV M sententiae suae interpretem! Quare, inquit, quum ego specialem Patriarchatus Romani dioecesin Occidentem uniuersum complecti ostendisse, consequens esse docui, ut RVFFINVM concederetis vel synodi mentem, quae Patriarchatum cum Patriarchatu componeret, non expressisse, vel suburbicariarum nomine Occidentales omnes Ecclesias comprehendisse. (18)

§. VI.

In Sirmondianam sententiam pariter discessioneum facit IOANNES MORINV S. Animaduertit ille Ruffinianam interpretationem Nicaeni Canonis non consulere commodis doctorum pontificiorum, nec utilitati seruire. Iccirco RVFFINO probris lacerato, indignabundus: quid, inquit, apud RVFFINVM suburbicariarum nomen sonet, non magis ut inquiratur laborandum censem; quam quo nomine Hecubae mater vocitata fuerit, aut Achilles ille Homericus, quum in muliebri habitu inter regias puellas apud Lycomedem laritaret. (19) Sed pace Tua, MORINE, interrogauerim; quid igitur Te permovit, ut vocis suburbicarii notionem integra dissertacione magno studio eruere elaboraueris? Quare rei quam nullius esse momenti opinaris, tantam operam impendi? Sit, inquit, Ruffinus haereticus, sit imperitus, stultus modo omnino non fiet, eaecutiat quantum libuerit,

*Itidem
Morinus.*

B 3

Elephan-

(18) SIRMONDV S I. c. p. 135.

(19) vid. IO. MORINI exercitationum XXXma lib. I. p. 88.

Elephantum culice longiorem & corpulentiorem modo fasteatur sensum commodum ex ipsius verbis exprimemus. (20)
 Bonum sane institutum! Hocne est nodum Gordium Alexandri gladio secare velle? Ita eximium pontificiorum errorum defensorem comparatum esse non modo oportet, sed etiam necesse est. Si vel luce meridiana clarius sit, quod illi opponas, in suam partem trahit; ut scilicet se pontificium nec neutrius partis esse declarat apertissime. Sed videamus, qua arte vtatur in definiendis ecclesiis suburbicariis, qui tantam affert confidentiam. Ego certe, dissertatione Moriniana de ecclesiis suburbicariis a capite ad calcem perfecta, praeter argumenta a SIRMONDO etiam prolata reperi propemodum nulla. Haud scio an noui argumenti nomen mereri posse videatur, eum obseruare, distinctionem in Imperium Occidentis & Orientis RUFFINI aetate maxime enituisse, & Byzantium diuisum cum Roma Imperium habuisse. Ex quibus effici cogique posse putat, quod addit: *suburbicarii igitur significatio Ruffini tempore media velut sui parte multata erat. Vniuersus orbis Romanus suburbicarius i. e. Romae imperio addictus est desirerat. Nam suburbicarius illa notio in Occidentem tota concesserat. (21)*

§. VII.

*Quid exhibi-
met Vale-
fus expeni-
tur.* Cum MORINO accurate conspirat vir illustris HENRICVS VALESIVS. Et quid mirum? Ille etiam sibi persuadet tres Patriarchas Romanum, Ale- xandrinum & Antiochenum, ab apostolicis temporibus Patriarchas fuisse. Proinde in rem suam vertit ar- gumenta

(20) MORINVS l. c. p. 90.

(21) Idem l. c. p. 93.

gumenta a SIRMONDO & MORINO in medium prolata. Quibus etiam permotus opinatur vocis *suburbicarii* notionem esse indeterminatam, atque ex dioecesi Patriarchatus Episcopi Romani hoc loco explicandam. Verum qui fuere termini huius dioecesos tempore Concilii Nicaenii? illud, inquit, haud facile fuerit affirmare. *Tutissimum tamen mihi videtur sequi sententiam graecorum Interpretum, qui Romano Patriarchae uniuersum Occidentem adscribunt.* (22) Imotissimum est veteribus erroribus subscribere. Sic multorum inuidiam; sic odiosum nouatoris nomen certissime euitabis!

§. VIII.

Calculum suum Valesiana sententiae adiicit V. SCHELSTRATE (23) qui praeter rationes ab aliis iam commemoratas, praecipue instat & vrget Concilium Arelatense I. quod ante Nicaenum habitum est, ad Siluestrum Papam scripsisse; *qui maiores dioeceses tenes ceteris Paschae diem per litteras significabis &c.* Maiores igitur dioeceses dum tribuat Episcopo Romano Concilium; effici putat & colligi, Episcopum Rom. patriarchalem quamdam potestatem in omnes magnas Imperii Occidentis dioeceses, Italiam, Illyricum, Africam, Hispaniam, Britanniam &c. habere. Illas enim regiones, secundum diuisionem Imperii a CONSTANTINO M. institutam, dioeceses proprie appellari sibi persuadet. Opus esse non iudico plures recensere scriptores, qui suburbicarias omnes

Occi-

(22) vid. HENR. VALESII obseruat. Eccles. in Socratem & Sozomenum lib. III. Cap. VII. p. 191.

(23) vid. E.M. à SCHELSTRATE Antiquitates Ecclesiæ T. II. diff. VI. & diff. VII. Cap. III. p. 423.

Occidentis ecclesias esse probare admittuntur; quum iisdem propemodum consecutariis & rationibus, quibus modo enarrati scriptores vtuntur, eamdem sententiam communiant. Huc referas V. C. A N T O N I V M P A G I, (24) apud quem non modo eadem S C H E L S T R A T I I argumenta; sed ipsa fere eius verba deprehendas, C A R O L V M a s. P A V L O (†) aliosque breuitatis caussa omittendos.

§. IX.

*Philippi
Berterii &
Petri de
Marca opini-
o commen-
moratur.*

Quoad omnia non conuenit celeberrimo viro P H I L I P P O B E R T E R I O cum illis, qui per Ecclesiastis suburbicarias vniuersum Patriarchatum Romanum intelligunt: neque tamen ab illorum partibus prorsus omnino alienus est. Sed priusquam illius exponam sententiam; generalem minimum Italiae descriptionem ac administrationis rationem, quae saeculo quarto obtinuit, lectori in memoriam reducam. Quum enim omnes, quos modo commemorabo scriptores Ecclesiastis suburbicarias intra Italiae fines fuisse concedant; vereor ne, his non praemissis, mea de his ipsis ecclesiis opinionum diuersarum recensio tenebris circumfusa & occultata videatur. C O N S T A N T I N V S M. nouam Imperii diuisionem instituit per quatuor dioeceses, quibus singulis Praefectum Praetorio imposuit. Praefectus Praetorio Italiae Italiam, Illyricum & Africam regebat. Ex quibus Italia in septem & decem prouincias tum tempore erat diuisa. (27) Quas quidem prouincias Praetorio

(24) vid. P A G I in Critica ad annales Baronii ad ann. 325. n. 34. p. 411. seq.

(†) v. CAROLI a S. PAVLO Geographia sacra ex edit. HOLSTENI p. 34.

(27) vid. notitiam Imperii Orient. & Occid. apud S C H E L S T R A T E N I V M in Antiq. Eccl. T. II. append. p. 632, n. V.

torio Praefectus per duos Vicarios administrabat, quorum alter Vicarius Italiae, alter Vicarius Vrbis dicebatur. Vicarius Vrbis decem prouincias habebat. Campaniam, Tusciam & Vmbriam, Picenum suburbicarium, Siciliam, Apuliam & Calabriam, Brutios & Lucanos, Samnium, Sardiniam, Corsicam, Valeriam. Reliquis septem prouinciis Flaminiae & Piceno annonario, Aemiliae, Venetiis & Histriae, Alpibus Cottiis, Liguriae, Rhetiae primae, Rhetiae secundae Vicarius Italiae loco Praefecto Praetorio praeferat. Vrbs autem ipsa non Italiae; sed suo parebat Praefecto, cuius iurisdictio in Centesimum usque Roma lapidem extendebatur. (28) Multum haec lucis conferunt ad argumentorum mox commemorandorum rationem & pondus penitus inspiciendum: propterea quod ad hanc Italiae diuisionem in omni modo propria controuersia respicitur. De quaquidem prouinciarum Italiae distributione, qui plura nosse desiderat, euoluat celeberrimi viri D. IO. IACOBI MASCO VII Commentarios rerum germanicarum, qui omnium versantur manibus. (29)

§. X.

Sed e diuerticulo in viam, & ad PHILIPPVM BERTERIVM iterum redeo. Is Nicaeni Concilii canonem agere de patriarchali Episcopi Romani dioecesi, & de eadem fuisse suburbicarias ecclesias studiose defendit. ARVFFINO autem ideo suburbicarias ecclesias tantum nominari coniectat; quoniam illae inter patriarchales fuerint praecellentiores; quippe in decem prouinciis sub Vrbis

C. Vicario

(28) conf. BERTERII libros Pithanon, Diatr. I. Cap. III. p. 23.

(29) vid. MASCOVII Geschichte der Teutschen lib. VI. §. 29, not. 3

Vicario sitae. Nam, inquit, quamvis aliae quoque essent in Patriarchatu Romano dioeceses; satis erat nibilominus urbiculariam, quia plures prouinciae & metropoles comprehendebantur cum Aegyptiaca conferre. (25) Eadem opinio arridet Parisiensi Archiepiscopo PETRO de MARCA: Prudenter, inquit, Ruffinus non in omnibus articulis, sed in eo iure Patriarchico, quod obtinebat in dioecesi urbicularia, Romanum Pontificem cum Alexandrino Episcopo conferri annotauit. Quam vero explicationem BERTERIVS coniectando tantum assequebatur, camdem MARCA argumentis communire conatur. Is obseruat Pontifici Romano licitum non fuisse in omnibus patriarchalibus ciuitatibus ordinare Episcopos; sed tantum in suburbicariis ecclesiis; quum tamen fas esset Alexandrino Patriarchae in toto patriarchali dioecesi eosdem ordinare. Quocirca quia Canone VI. Nicaeno ad Episcopum ordinationes praecipue respicitur, (§. 1.) non poterat alia dioecesis Episcopi Romani cum dioecesi Alexandrini Patriarchae comparari, quam illa, in qua etiam Romanus Episcopus ipse Episcopos ordinabat. Romanus autem, de sententia PETRI de MARCA ordinabat eos, in decem prouinciis, quae erant sub urbis Vicarii iurisdictione. Quod ut probet annotat, stilo ecclesiastico has loquutiones: *ad alicuius concilium pertinere, & ad alicuius consecrationem pertinere*, esse synonymicas. Inde ut confidere atque euincere possit, Episcopum Romanum in decem prouinciis Episcopos ordinasse;

citat

(25) conf. PHIL. BERTERII in Senatu Tolosano Praefidis Pithan non diatribas duas, quibus ciuilis Romani Imperii notitia & ecclesiae Politia illustrantur Tolosae 1608. editas diatr. II. Cap. III. p. 169. seq. Quae quidem BERTERII diatribae etiam extant in Tomo IV. Thesauri Iuris nuper edito.

citat A T H A N A S I V M , qui enumerat omnes , quos Episcopus Romanus ad Concilium Sardiceuse inuitauit . (26)

§. XI.

In eamdem cum illis qui de Patriarchatu Episcopi Romani Ecclesiarum suburbicariarum nomen interpre-<sup>Iac. Gotbo-
fredi sem-
tentia.</sup> tantur sententiam discedit vir summus J A C O B V S G O T H O F R E D V S , quoniam intelligit per ecclesias suburb. plures prouincias sive integrum dioecesin Episcopo Romano tribui . (*) In determinandis autem Patriarchatus Romani limitibus ab iisdem maxime diversus est . Quippe existimat inter Episcopos dioeceseon dignitatem & auctoritatem non latitudinem attenden- dam esse . (**) Ex limitibus Italiae omnium optime de suburbicariarum ecclesiarum amplitudine iudicari posse contendit . Quibus , inquit , Italia stricte sic dia limitibus coercebatur sane sciri interest : hac enim ratione sciri poterit quos intra fines suburbicariae conflite- rint . At quibus Italia stricte sic dicta limitibus coer- cebatur ? Lex II. Cod. Theodos. de integr. restitut. omnem Italiam dicit ; de tota Italia quae extra cente- sum . Quare de sententia G O T H O F R E D I intra centesum fuere suburbicariae ecclesiae . Quam qui- dem opinionem ut probabiliorem efficiat , obseruat suburbicariarum regionum primam mentionem occur- rere A. D. CCCLIX . Iam vero quum ex lectione

C 2 scripto-

(26) vid. PETRI de MARCA dissertat. de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. I. cap. VII. §. VI. f. p. 41. seq. edir. Francof.

(*) vid. I A C. G O T H O F R E D I de suburbicariis regionibus & ec- clesiis seu de praefecturae & Episcopi urbis Romae dioecesi con- jecturam , quae fine addito auctoris nomine prodit. Francofurti 1617. diff. II. Cap. II. pag. 45.

(**) G O T H O F R E D V S l. c. Cap. V. p. 64. —

scriptorum veterum pateat DIONEM, CONSTANTIUM M. aliosque antiquiores Centesimum ab Urbe & Italiam inuicem saepenumero opponere; CONSTANTINO M. autem iuniores Principes suburbicarias regiones ab Italia distinguere; inde confici putat vir celeberrimus oppositionem qua suburbicariae regiones Italiae opponuntur in locum concessisse eius oppositionis, qua Centesimus ab Italia distinguitur; & propterea suburbicarias regiones & Centesimum idem oportere propugnat. (***) Intra Centesimum vero quatuor prouincias numerat Tusciam suburbicariam Picenum suburbicarium, Latium vetus & Latium nouum numerat. (†)

§. XII.

*De Prima-
tiana dio-
cesi Eccles.
suburb. ex-
pli-
cata du
Pin.*

Venio nunc ad eam sententiam secundum quam Ecclesiae suburbicariae Episcopi Romani Primitanae dioecesi respondent. Vnicum autem inuenire scriptorem tantum licuit, qui huic subscribat, L V D O V . E L L . D V P I N , cuius virtus maximis in antiquitatem ecclesiasticam meritis illustratur. (30) Videlicet in disquisitione celebris de Ecclesiis suburbicariis controversiae non audet easdem per patriarchalem Episcopi Romani dioecesin definire; quoniam in canone sexto Nicaeno dicitur; similiter & in Antiochia, & in aliis prouinciis sua priuilegia ecclesiis seruentur. Quodsi enim aliquis canonem VI. Nic. de Patriarchis interpretaretur; illum propter haec Canonis verba oportet

(***) vid. GOTHOFREDVS in annotat. in Codicem Theodosianum lib. XI. tit. I. leg. IX. de annona, & addatur Eiusdem Coniectura de suburbicariis reg. diff. I. Cap. IV. p. 23.

(†) Idem I. c. Cap. V. p. 27.

(30) vid. D V P I N de antiqua ecclesiae disciplina Diff. I. §. ultimo p. 61. seq.

teret clargiri, praeter Patriarcham Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, in aliis etiam prouinciis fuisse patriarchas. Quod DV PINIO aperte perspicueque falsum videtur. Neque tamen opinatur per ecclesiis suburbicarias metropoliticam Ep. Rom. prouinciam intelligi posse; quoniam Alexandrinus Episcopus, qui cum Episcopo Romano in Canone Nicaeno comparatur, tum temporis non vnam prouinciam sed integrum dioecesin habuerit. Quas quidem difficultates ut evitet Parisiensis Doctor, media quadam incedere vult via, & Episcopum Romanum iure Exarchi sive Primatis suburbicarii ecclesiis praefuisse sibi persuadet. Secundum quod ius Exarahatus in plures prouincias & metropoles Episcopo Romano potestatem fuisse obseruat. (31) Ceterum verisimillimum esse propugnat, hanc Primatianam dioecesin sive suburbicarias ecclesiis fuisse in decem prouinciis, quae habuit Vrbis Vicarius. (§. IX.) Id probaturus ad diuer-
sas constitutiones in Codice Theodosiano extantes pro-
uocat ex quibus constat, vrbicarias regiones fuisse omnes Vrbis Vicarii prouincias. Vrbicarias autem &
suburbicarias prouincias pro synonymis habet. Neque
etiam suburbicarias ecclesiis alias fuisse, quam in pro-
uinciis suburbicariis sitas, dedita opera tuetur. (32)

S. XIII.

Ordo nunc tangit illos scriptores, qui defendunt RVFFINVM voluisse metropoliticam prouinciam Episcopi Romani per suburbicarias Ecclesiis definire. Prodeat primum litteratus Heros CLAVDIVS SAL-

*Per Metro-
politican
prouinciam
easdem defi-
nit Salma-
fius.*

C 3

MASIVS,

(31) DV PINI l. c. p. 83, seq.

(32) Idem l. c. p. 87, seq.

MASIVS, quo nomine audito quondam assurgebat Criticorum chorus. Ut ingenio multis scriptoribus, qui hanc controuersiam tetigere plurimum praefat; ita etiam bene multis scriptis SIRMONDO non sine animi contentione oppositis, hanc materiam illustrauit. (*) Negari nequit, eum parem propemodum operam impendere in conuiitiis, quibus SIRMONDVM consecutatur, conquirendis, quam in defendenda conquisitis rationibus sententia sua de Ecclesiis suburbicariis. Interim tamen argumenta illius praecipua considerari & examinari merentur; propterea quod, teste Purpurato PERRONIO, (a) apud Protestantes in Gallia plausus maximos & & perhonorificos tulerunt. Dabo operam, vt quae multis verborum ambagibus expromit argumenta, paucis propinan. Defendit suburbicarias ecclesias fuisse intra Centesimum ab vrbe lapidem in quatuor prouinciis Piceno suburbicario, Tuscia suburbicaria, Latio & Valeria, & metropoliticam Episcopi Romani prouinciam constituisse. Rationes quibus hanc sententiam communis, ad quatuor capita reuocari commode posse mihi videntur.

§. XIV.

*Sabmatis
primum ar-
gum. ex sco-
po Canonis
Concilii Ni-
ca. ni.*

Primum argumentum in Canone Nicaeno praefidium & adiumentum querit. MEL ETIVS Saeculo IV. iura Alexandrini Episcopi metropolitica ordinando Episcopos violabat. (§. I.) Id quod ansam praebuit Canoni VIto Nicaeno condendo. Quocirca de sen-

(*) vid. haec scripta recensita in Viri Magnifici D. SALOM. DEYLINGII diff. II. de Nouitate Reg. Mon. in Eccles vniuersam p. 59.

(a) vid. IAC. PERRONIVS in iterato responso ad Iacobum I. Regem Britanniae lib. I, cap. XXXIII, p. 215.

sententia SALMASII Canon Nicaenus, & conseq-
uerter Ruffiniana interpretatio, de metropolitica pro-
uincia loquitur. De Metropolitis supponit; quod vni
tantum prouinciae ciuili praefuerint. (b) Quae autem
tum metropolitica Episcopi Rom. prouincia? territo-
rium, inquit, *Praefecti urbis*, quod intra centesimum
ab urbe lapidem fuit. Quare? In veteri omnium pro-
uinciarum orbis notitia Graeca, tempore Leonis Phi-
losophi conscripta, Praefecti Vrbis territorium dicitur
περιοχας οἰκουμένας, suburbana prouincia siue quod idem
est romana prouincia. (c)

§. XV.

Secundum argumentum SALMASII a compa-
ratione aliorum canonis Nicaeni Interpretum desumi-
tum est. Vetus vaticanus interpres RVFFINI subur-
bicarias ecclesias *suburbicaria loca* appellat. (d) Se-
cundum interpretationem Arabicam sunt *loca*, quae
circa Romanam sunt, (e) ARISTINVS, SYMEON
Logotheta, aliqui Graeci interpres *τὰ ἡπούντια* sub-
urbicaris ecclesias dicunt. Proinde pro finitimas urbi
ab illis auctoribus suburbicariae ecclesiae habentur. (f)
At quid inde? Extat epistola CONSTANTII Im-
peratoris de exiliando Coelestio haeretico Pelagiano ad
Volusianum Praefectum Vrbis data: inibi praecipitur;
ut statim ex urbe expellatur, ita ne intra Centesimum
quidem

Secundum
argum. ex
alii Cano-
nis interpr.

(b) SALMASIUS in Eucharistico Iac. Simondo pro aduentorio de
regionibus & ecclesiis suburbicariis, Lutetiae Parisi, 1621. in 4. ed.
Parte posteriori Cap. I. p. 260. seq. p. 278. seq.

(c) SALMASIUS l. c. Cap. V. p. 634, 641. conf. Pars prior Ca-
put. I. p. 3.

(d) Idem Parte poster. Cap. I. p. 250.

(e) Idem ibid. p. 252.

(f) Ibid. p. 254 - 257.

quidem lapidem habeat licentiam consistendi. Quod quidem Imperatoris edictum dum more solemni promulgabat Vrbis praefectus; Imperatoris huc facientia verba ita exprimit; ut si vel in proximis fuerit diuersatus debitum non euadat exitium. Proxima igitur, inquit SALMASIVS, Vrbicensesbantur quaecunque intra Centesimum. (g)

§. XVI.

Tertium argum. ex Rescriptis Imperatoriis suaे sententiae praesidium arcessere. Ad VALENTINIANI Imp. Rescriptum ad Vicarium Vrbis Maximinum datum praeципue prouocat: Inibi prohibetur; neue VRSICINV ad urbem Romam vel certe suburbicarias regiones valeat comman-
nere. Datum est etiam Rescriptum ad Ampelium Praefectum urbis eodem exemplo: ne ad urbem Romam vel certe suburbicarias regiones pedem inferat. Quod quidem VALENTINIANVS junior alio Rescripto ita, de opinione SALMASII, exprimit, vt ad centesimum urbis milliare pelleretur. Centesimi igitur milliarii terminus & suburbicariarum regionum idem omnino fuit. Haec est quam SALMASIVS inde eruit conclusio. (h)

§. XVII.

Quarto denique SALMASIVS etiam ex nativa, vt opinatur, vocis suburbicariae significatione argumentum dicit: Suburbicariae, inquit, prouinciae dicuntur suburbanae & sub vrbe sitae, non autem sub vrbis Vicario positae. Quae analogia, quod exemplum, vt prouincia suburbicaria dicatur, quae Vrbicario paret,
vel

(g) SALMASIVS p. 281-286.

(h) Ib. l. c. Parte priori Cap. IV. p. 156-162.

vel sub Vrbicario est? Hac eadem vocabuli forma prouinciae sub Praetore subpraetoriae, sub Praeside subpraefidales essent dicendae. Ut vrbicarius & urbanus idem est; sic suburbicarius & suburbanus ut idem sit oportet. Suburbanum autem de territorio vrbis interpretatur. (i) Ex qua obseruatione critica confici putat sequens argumentum: Quam late patuit territorium vrbis; tam late etiam se extendit suburbicarum ecclesiarum ambitus. At territorium vrbis ad centesimum vsque lapidem processisse documentis a nemine facile in dubium vocandis ex Codice Theodosiano probat. Inde enim constat non Praefectum vrbis solum ad centesimum habuisse iurisdictionem; sed etiam eodem termino reliquorum fere omnium Vrbis magistratum potestatem fuisse finitam. (k)

§. XVIII.

SALMASII argumenta, omni suo robore atque pondere munita qua decet integritate, & qua oportet fidē mihi videor protulisse. Non desunt qui huius auctoritate & fortassis etiam rationibus adducti, in eamdem de ecclesiis suburbicariis sententiam discessiōnem faciunt. Huc referas celeberrimos viros GVL. BEVERE GIVM, (l) GVL. CAVE VM, (m) IOSEPHVM MOTTA M (n) SAMVELEM BASNAGIVM (*) aliasque, qui in Salmasianis argumen-

D tis

*Quinam
cum Salma-
sio faciant.*

(i) SALMASIUS l.c. Cap. III. p. 95. 97. conf. SALMAS. scriptor. histor. Augustae p. 316.

(k) SALMAS. Euchar. de region. suburb. Cap. IV. p. 191. 195. conf. GOTHO-
FREDI coniecturam de region. & ecclesiis suburb. diff. I. cap. II. p. 14.

(l) vid. BEVERE GIVS in annot. in Canones p. 52.

(m) WILLIAM CAVE Anc. Church. Government Cap. III. p. 114. f.

(n) IOSEPHVS MOTTA in diff. rt. de Iure metropolitico §. XXXIV. p. 55.

(*) SAM. BASNAGIVS in exercitat. ad annal. Baronii p. 315.

tis acquiescunt. Ab his etiam segregandus non est 10.
BAPT. de LVCA (o) de cuius tamen rationibus,
 quibus in defendenda **SALMASII** sententia vtitur,
 mihi nondum constat. Neque enim licuit ipsum **LV-**
CAE librum manibus meis versare aut oculis subiicere.

§. XIX.

De metropolitica prouincia ex pluribus prouinciis cimelibus constante Ecclesie suburb. intelligentiwan Espen & Iustus Fontaninus. Supereft, vt de illis scriptoribus etiamnum verbo edifferam, qui de Metropolitica prouincia pariter ecclesiarum suburbicariarum nomen explicant; sed illas tamen intra Centesimum ab vrbe lapidem non coercent. Stat in hac sententia vir celeberrimus **ZEGEVRS BERNARDVS van ESPEN**, qui, vbi generali canonum concilii Nicaeni tradit paraphrasin, obseruat ecclesiis suburbicarias esse ecclesiis in prouinciis Romae adiacentibus & sub dirione Vicarii Vrbis comprehensis fitas, Romani Episcopi metropoliticam prouinciam constituentes. Doleo autem eum tantum leuiter & in transitu hanc controuersiam attingere. (p) Eamdem propemodum sententiam amplectitur vir doctrinae splendore & muneri amplitudine illustrissimus & adhuc superstes Ancyranus Archiepiscopus **IVSTVS FONTANINVS**. (q) Defendit ille omnes ecclesiis in prouinciis Vrbis Vicarii, si a Sardinia, quae **Calitanum** habuerit Metropolitam, diceferis, vna cum Piceno annonario & Flaminia fuisse suburbicarias.

Quam

(o) **IO. BAPT. LVCA** in Theatri veritatis & iustitiae lib. III. P. II. Discurs. I. Num. 2.

(p) vid. van **ESPEN** scholia in omnes canones Conciliorum, annexe eius iuri ecclesiastico vniuerso edit. Colon. P. II. cap. I. §. VII. p. II.

(q) **IVSTI FONTANINI** commentatiuncula de amplitudine peculiaris prouinciae summi Pontificis vt Romani metropolitae, deque Episcopatu Eugubino in eodem posito, Romae 1725. edita.

Quam sententiam dupli argumento stabilire nititur.
Ex historia enim ecclesiastica obseruat, in his ipsis pro-
uinciis ante saeculum quintum, quo primum sub san-
cto PETRO CHRYSOLAGO instituta est metro-
polis ecclesiae Rauennatis, nullam fuisse metropolim
ecclesiasticam praeter Romanam. (r) Deinde absurdum
erit ipsi videtur, quum Canone sexto Nicaeno Ale-
xandrina iurisdictio Romanae dicatur parilis; Roma-
nam tam arctis limitibus circumscribi & intra centesi-
num coerceri, propterea quod Alexandrina iurisdi-
ctio se extenderit latissime: (s)

SECTIO SECVND POLEMICA.

Diuersas scriptorum de Ecclesiis suburbicariis sententias ex momento suo ponderans.

§. XX.

Multam & forte nimiam operam consumpsi in enumerandis variis de Ecclesiis suburbicariis coniecturis dicam an sententiis. Neque tam ad eum finem haec a me suscepta recensio est, vt incertiorem lectorem dimittam; sed vt vniuersiusque scriptoris argumenta eo melius meis ponderibus examinare, & quid in illorum probationibus desiderem Baronius
Ruffini in
interpretatio
nem perpe
ratu reuicti

(r) F O N T A N I N V S l. c. th. IV.

(s) FONTANINVS l. c. th. V. conf. th. II. vb̄ verba canonis sexti Nicæni: Ἐπεδι γη τῷ ἐντὸν Πατέρι Ἐκκλησίᾳ τῷ σύνδεσμῳ εἰς ἑρμηνείαν interpretabatur; quandoquidem & Episcopo Romano parilis mos est.

expromere queam. Itaque in singulas sententias ordine inquisitorus de Baroniana primum loquar. **B A R O N I V S** sine idonea ratione Ruffinianam interpretationem repudiare mihi videtur (§. III.) Non nego in **R U F F I N O** multa vtique reprehendi merito posse. Non nego in historia sua ecclesiastica eum offendere & titubare nonumquam & ruere. Recte etiam obseruat **H I E R O N Y M V S** eum optimae latitatis fuisse ignarum, & non raro quae sentit obscure admodum expressisse. Num vero inde consequitur, **R U F F I N V M** ignorasse, quaenam sua qua viuebat aetate, & paullo ante Episcopi Romani fuerit dioecesis? Quid ab omni ratione magis alienum, quid a veritate magis auersum est hoc pronunciato: illum qui semel vel bis a recta via aberrauit, numquam rem acutangere? Fuit **R U F F I N V S** Presbyter Aquileiensis, in vicinia dioecesos Episcopi Romani. Presbyteris etiam p[re] caeteris omnibus constare debebat, quae genuina sit decretorum synodicorum sententia. Differit de re, quae non versatur in conditione iuris sed facti; & si voluisset receptam ecclesiae disciplinam aliter describere, non audebat. E regime enim ecclesiae id temporis colligi poterat; qua ratione a Nicaenis Patribus illud instrumentum & dispositum fuerit. Perplacent mihi verba **H I E R O N Y M I A L E A N D R I** Iun. *Ego, inquit, minime illorum accedo sententiae, qui aut confutum mendacium tribuunt Ruffino aut hallucinationem. Cur enim lapsus in re eo tempore apertissima? aut quae frons homini fuisset, ut adversus perspicuum veritatem ridiculus esse vellet?* (a) Et si etiam alibi non dilucide satis & aper-

(a) **H I E R O N . A L E A N D E R** Iun. diff. II. de region. & ecclesiis suburbicariis Cap. III.

aperte loquutus est; in interpretando tamen Nicaeno Canone VI. mentem suam tam perspicue expressit, vt intelligi facile possit ab omnibus. Non diffiteor, illum particula *vel pro et* in interpretatione sua vsum esse; quod a regulis bonae latinitatis recedit. At quis adeo rerum imperitus est, vt ignoret hanc loquendi rationem passim fuisse receptam? (b) Id quod **BARONIVS** ex Gratiani huius Canonis interpretatione Pontificis auctoritate approbata discere potuisset. Nam ibi etiam *vel pro et* usurpat. (c) Neque etiam Baroniana ipsius Canonis VI. Nicaeni interpretatio tantum momentum habet, vt propterea Ruffiniana nullo loco sit habenda. Quod enim **BARONIVS** obseruat, in Concilio Chalcedonensi Canonem VI. Nicaenum cum hoc initio recitari: *Ecclesia Romana semper habuit Primum*, pro nihilo habendum est. Dudum enim vel ipsi pontificii doctores agnouere lectionem hanc Canonis Nicaeni spuriam esse atque adulterinam; quum omnem connexionem tollat & a vetustissimis Codicibus recedat. (d) *Et si vel maxime*, verbis vtor pie defuncti Aui mei D. **CHRISTIANI KORTHOLTI**, ut γνωτον admittatur exordium illud; nihil tamen id iuuabit Monarchicorum caussam. Certe dum vox primatus auditur; non statim concipienda est illimitata ali-

D 3

qua

(b) **IAC. GOTHOFREDVS** in Coniectura de Suburb. regione & eccles. Diff. II. Cap. VI. p. 67. obseruat nonnullis alteri hunc Ruffini locum legendum videri: *vt ille Aegypti velut hic suburbicarum &c.*

(c) Mos antiquus, inquit **GRATIANVS** dist. 65. c. 6, perduret in Aegypto, VEL Libya & Pentapoli, quum debuerit dicere, ET Libya: in ipso enim Canone dicitur **KAI AIBTH.** Sed forsan Pontificis Romani auctoritate βασιλευός & βασιλέα.

(d) vid. **EDMVNDI RICHERII** Historia Conciliorum generalium lib. I. Cap. II. §. XIII. p. 54.

qua & incircumscrip^ata potestas ecclesiastica; quum ipsi quoque Metropolitani Primatu suo fruerentur. (e) Addo; a BARONIO allata Canonis lectio per consequens nihil nocebit Ruffinianae interpretationi, quae itidem non omnem Primum respuit.

§. XXI.

*Discrimen
inter anno-
arias &
suburbica-
rias regio-
nes non at-
tendit.*

Quo autem loco BARONII de ipsis ecclesiis suburbicariis sententia habenda est? Omnis eius argumentatio innititur obseruationi a veritate quam maxime alienae, nimur plane easdem esse annonarias & suburbicarias regiones. Sed quum annonariae prouinciae vrbi peculiari nexu sint obstrictae; eodem argu^mento ecclesiis suburbicariis esse omnes illas, quae Pontifici Romano prae ceteris sint deuinctae. Qui vel semel Notitiam Imperii oculis subiecit; non ignorabit Picenum suburbicarium a Piceno annonario distingui & separari. Et quis adeo in omni Romana antiquitate est peregrinus & hospes, quem fugiat Tuscia annonariam ita dici, vt a Tuscia suburbicaria discernatur? (g) Minime nego prouincias etiam suburbicarias certam annonam pependisse. AVRELIVS VICTOR in Herculii vita: *omnis, inquit, olim Italia eadem functione moderataque agebat, quo exercitus atque Imperator alii possent.* (h) An vero ideo omnes Italiae prouinciae dicuntur annonariae? Hoc nemo facile dixerit. Fortassis, vt obseruat DV PIN, (i) inter ipsis suburbicarias

(e) vid. D. CHRISTIANI KORTHOLTI Disquisitiones Anti-Baronianas a Parente meo insigniter honorando SEBASTIA-
NO KORTHOLTO Hamburgi 1708. editas, p. 378. n. 33.

(f) vid. Notitiam Imperii apud SCHELS TRATENIVM in Ar-
tiqua Ecclesiae T. II. append. p. 632. n. V.

(g) COD. THEODOS. Lex XII. de indulgent. debitorum.

(h) vid. SALMASII scriptor. historiae Augustae p. 315.

(i) DV PIN de antiquae eccles. disciplina diff. I. §. vlt. p. 91.

carias prouincias fuere quaedam annonariae. Neque enim res adeo expedita est accurate determinare, quaenam annonariae fuerint regiones. Illud autem certo certius est; non omnes annonarias prouincias suburbicarias; nec bina illa epitheta esse synonymica. Quorsum enim haec oppositio, qua Picenum suburbicarium ab anno-
nario, Tuscia annonaria a suburbicaria distinguitur?

§. XXII.

Fac autem, quod tamen minime elargior, an-
nonarias easdem esse regiones, quae sunt suburbica-
riae, quam imbecillis foret argumentatio: suburbica-
riae prouinciae sunt eadem quae Vrbi peculiari nexu
sunt obligatae; ergo ecclesiae suburbicariae sunt ea-
dem, quae Episcopo Romano praeter ceteras curae
sunt. Cur ecclesiae suburbicariae sunt aliae, quam in
suburbicariis prouinciis sitae? Cur non concludit **B A-**
R O N I V S, si prouinciae suburbicariae sunt eadem quae
annonariae; sequitur quod ecclesiae suburbicariae sint
eadem, quae sunt in annonariis regionibus? Sed faci-
le patet **B A R O N I V M** errorem multis etiam aliis scri-
ptoribus familiarem de ecclesiis suburbicariis souere;
& sibi persuadere, indeterminatam esse vocis *suburbi-*
carii notionem, ut ex praedicato demum illius sensus
agnosci queat. Suburbicarium enim omne illud ap-
pellari, quod Vrbicario alicui vel magistratui, vel Epi-
scopo subditum sit. Non est, non est adeo indeter-
minata vocis *suburbicarii* notio. Id quod tantum non
omnes Imperatorum constitutiones, in quibus vox
suburbiacarii occurrit, planum faciunt. Vnam tan-
tum breuitatis caufsa proferam. In Codice Theodo-
fiano (k) statuitur; ut decretum in gratiam Africæ
Procon-

*Vocem sub-
urbicarii
pro indeter-
minata no-
tione falso
venditat.*

(k) COD. THEODO S. lib. VIII. tit. V. lege XXIV.

Proconsularis latum; locum etiam habeat in prouinciis suburbicariis. Turpiter sane se dedissent, aut dedita opera fucum fecissent Imperatores, vtendo in hac lege voce *suburbicariorum prouinciarum*; si illa vox per se esset indeterminata; & fine relatione ad certum vrbis magistratum sub intelligentiam non caderet. Nam hac ratione neque numerum prouinciarum suburbicariarum, neque situm cognoscere quis potuisset. Sed quis de Imperatoribus sine ratione suspicari ausit, illos sibi subiectos fallere consulo voluisse? Certissime igitur concluditur oportere determinatam esse vocis *suburbicarii* significationem; quum Imperatores eandem in legibus suis adhibuerint, vbi tamen nulla est ad certum vrbis magistratum relatio, vt per se intelligentia comprehendatur. Quum vero determinata sit vocis *suburbicarii* notio & vno dumtaxat modo aliquid suburbicarium dicatur; consequitur, quod ecclesiae suburbicariae aliae esse nequeant ab iis, quae in prouinciis erant suburbicariis. Et illud quidem cum indole Romanae linguae etiam optime conuenit. Ita enim ecclesias Danicas, Cimbricas, Saxonicas dicimus eas, quae in ipsis regionibus reperiuntur:

§. XXIII.

*Bellarminus
refutatur.*

Ad **BELLARMINI** de ecclesiis suburbicariis opinionem quod attinet; illa eadem facilitate reiicitur, qua fuit ab auctore admissa. (§. IV.) Aperte perspicuece falsa & peruersa est. Quis negabit ecclesias in Piceno suburbicario sitas, fuisse ecclesias suburbicarias? Iam vero secundum computationem **CAROLI a SANCTO PAVLO XIV.** dioeceses Episcopales fuerunt in Piceno suburbicario. (†) Qui quidem

(†) CAR. a S. PAVLO Geogr. Sacra p. 54.

dem numerus Episcopatum iam multum excedit numerum senarium **BELLARMINI**, qui sex tantummodo Romae vicinissimos Episcopatus habuit pro suburbicariis.

§. XXIV.

Progedior ad examinandam illorum sententiam, qui Ruffinianam interpretationem admittentes, de diocesi aliqua Episcopi Romani vocem Ecclesiarum suburbicarum explicant. Vbi primo sese loco offerunt, qui Patriarchalem dioecesin Episcopi Romani illas esse tenent. Quae quidem opinio nullo modo mihi arredit; propterea quod omnes ab hac parte stantes communis errore supponant tempore concilii Nicaeni Patriarchas singularem Episcoporum ordinem iam constituisse. Et cui hoc mirum videbitur, quum etiam prudentiores nonnulli pontificii doctores in ea sint sententia, vniuersum ordinem hierarchicum in ecclesia ab ipsis apostolis iam esse constitutum. Praejudiciis igitur suis hunc errorem referunt acceptum. Illud autem iisdem condonari vix poterit, quod etiam defendant, in ipso canone VIto Nicaeno & per consequens in interpretatione Ruffiniana de Patriarchis sermonem esse. Hoc enim saluis pontificiis suis praejudiciis videre potuissent; quum Episcopum Romanum vel vt Metropolitam vel vt Primatem vel vt Patriarcham considerari posse sibi persuadeant. Ut igitur eo certius eosdem erroris conuincam, primum probabo, sub initium saeculi quarti Patriarchas nondum extitisse; deinde obiectiones illorum refutabo, quibus probare connituntur Canone VI Nicaeno de Patriarchis agi, postremo de Metropolitis, & quidem reliquis auctoritate praestantibus ibidem sermonem insti-
tu, euincam.

E

§. XXV.

*Qui Eccles.
suburb. per
Patriarcha-
lem dioecesin
definiunt,
Patriarcha-
rum ordi-
nem nimis
antiquum si-
bi fingunt.*

§. XXV.

*Ante saecu-
lum quar-
tum nulli
fuere Pa-
triarchae.*

Et ad primum quidem quod attinet; silent de Patriarchis omnia scripta comparis aetatis, id est ante saeculum quartum, aut sub initium saeculi quarti exarata. Non vrgeo quidem, vocem Patriarchae nusquam occurtere. GREGORIVS enim NAZIAN-
ZE N V S Parentem suum, Episcopum non magnae
vrbis Nazianzi saepenumero Patriarcham appellat. (l)
Sed illum Episcoporum ordinem, qui sequenti aeuo
Patriarcharum appellatus est, tum temporis nondum
fuisse defendeo. Metropolitam dicimus qui iurisdi-
ctionem habet in Episcopos; Patriarcham cuius iudi-
cio parent Metropolitae. Vbi igitur probandum sub
initium saeculi quarti extitisse Patriarchas; id extra du-
bitationem praecipue collocetur; Episcopos quosdam
tum temporis extitisse, quibus Metropolitae fuerint
subditi. Quod quidem an a quoquam demonstrari
posit valde dubito. Solent quidem nonnulli, teste
V. C. IOSEPHO BINGHAM O (m) prouocare ad
EPIPHANIUM saeculi quarti scriptorem: *Is ipse,*
*inquit, Meletius Archiepiscopus in Aegypto & Alexan-
dro subiectus rem omnem (de Ario) ad Alexandri Archi-
episcopi aures detulit.* (n) Ex hoc loco patescere opin-
nantur aliquem Archiepiscopum s. metropolitam Ale-
xandrino Episcopo paruisse. Sed vnumquisque anti-
quitatis ecclesiasticae peritus facile intelliget, Archi-
episcopum hoc loco tantum vi vocis primarium ali-
quem inter Episcopos denotare. EPIPHANIVS
ipse

(l) vid. BINGHAMVS Orig. Eccles. lib. II. Cap. II. §. IX. p. 80.
edit. Halensis.

(m) BINGHAMVS I. c. lib. II. cap. XVIII. p. 242.

(n) EPIPHANIUS Haeres. LXIX. n. 3.

ipse alibi rationem reddit, eur Meletium Archiepiscopum vocet: *Ille quidem, inquit, (Meletius) ceteris Aegypti Episcopis antecellens secundum a Petro dignitatis locum obtinebat.* (o) Alii patriarchalis dignitatis antiquitatem probaturi SYNESII auctoritate nituntur, qui refert ATHANASIVM id negotii dedisse Siderio Episcopo Palaebicensi ut Metropolitanam ecclesiam in Polemaide gubernaret. (p) Quid autem inde? Metropolitanus ecclesia est ecclesia in metropoli constituta. Nemo negat iam tum in ciuitatibus primariis fuisse Ecclesiis & Episcopos, sed Episcopos illos in reliquos prouinciae Episcopos iurisdictionem habuisse, & tamen eos ipsos alteri Episcopo fuisse subditos, id est, quod in dubium vocatur. Et merito quidem. Metropolitas enim tempore Concilii Nicaeni αὐτοκεφαλες fuisse inde probo quod Canone IV. & Canone VI. Niceno in ultimis verbis (§. I.) Metropolitis conceditur, ut finitiam sententiam ferant. Quod sane factum non esset, si Episcopi fuisse superioris iudicii, ad quod debuisset prouocari, siue, quod idem est, si fuisse Patriarchae.

§. XXVI

Praecipuus scrupulus, qui SIRMONDV M & Non repu-
cum eo facientes vexat, quo minus concedant de Me-
tropolitis canone VI. Niceno agi, is est; quod quum
MELETIVS, qui condendo huic Canonii praebuit
ansam, in omnibus Aegypti prouinciis Episcopos or-
dinavit, hoc ipso Patriarchalia iura sibi sumserit & usur-
parit. Patriarchae enim esse tueruntur pluribus prouin-

E 2

ciis

(o) EPIPHANIUS Haeret. LXVIII. n. 8.

(p) SYNESIVS Ep. LXVII, ad Theoph. p. 231.

ciis siue dioecesi praefesse. Facile autem huic obiectio-
ni occurram. Non nego potestatem esse Patriarchae
propriam dioecesi praefesse. Si enim Metropolitis praef-
est, & vnuquisque Metropolita prouinciam gubernat;
consequitur Patriarcham regere debere dioecesin, hoc
est plures prouincias coniunctas. Necessarium autem
esse opinor dioecesin & prouinciam ciuilem ab eccl-
esiastica probe discernere. Quum primum Metropoli-
tae p[re]a reliquis Episcopis auctoritate pollere incipe-
rent; prouinciae vnius & quidem ciuilis Episcopis p[re]a-
fuisse videntur, secundum Canonem XXXIV. Apo-
stolicum. Ideoque tum temporis inter prouinciam
ciuilem & ecclesiastica nulla erat differentia. Sed
successu temporis in vicinarum etiam prouinciarum
Episcopos se[me] extedit nonnullorum Metropolitarum
Episcoporum iurisdictio. (§. I.) Vnde discrepancia
quaedam inter prouinciam ciuilem & ecclesiastica in-
troduci coepit. Latius enim tum patuit Episcopi Me-
tropolitae iurisdictio, quam Praefidis prouinciae. Ne-
que tamen propterea existimare debemus, illos Episco-
pos plures habuisse prouincias ecclesiasticas. Illud non
sequitur. Attendantus ad ipsam prouinciae alicuius
definitionem. Ex historia discimus prouincias modo
amplas fuisse; modo minori spatio comprehensas.
Tuscia initio yna erat prouincia, deinde in duas anno-
nariam & suburbicariam diuidebatur. Picenum sub-
urbicarium & annonarium, duae prouinciae, coalesce-
bant successu temporis in vnam prouinciam. Et quis
dixerit omnes prouincias aequalibus terminis fuisse
comprehensas? Non igitur certus ciuitatum nume-
rus, non certum spatium ad prouinciam aliquam con-
stituendam requisitum fuit, sed quot Consulares, siue
Praefi-

Praesides, sive Correctores tot etiam fuere prouinciae. Ciuitates igitur, qui eidem iudicio ciuili parebant, prouinciam ciuilem constituisse mihi videntur. Per placet itaque definitio prouinciae generalis, quam ex Macario Ancyrano affert vir illustris IOSEPHVS MOTTAS: *prouincia est totum, quod intra uniuscuiusque metropolos fines continetur.* (q) Metropolis enim erat ciuitas, in qua iudicium plurium ciuitatum erat constitutum. Secundum hanc definitionem prouinciae generalem prouinciae ecclesiasticae definitio erit; quod sit, *numerus ecclesiarum Episcopatuum, quae unam eamdemque metropolim ecclesiasticam agnoscunt.* Quid vero est metropolis ecclesiastica? ecclesia in qua exercetur iudicium in plurium ciuitatum ecclesiis. Contingere itaque potest, vt prouinciae civilis termini sint iidem cum ecclesiasticae prouinciae terminis; sed potest etiam contrarium euenire. A potestate enim Metropolitae Episcopi prouinciae ecclesiasticae ambitus pendet. Notissimum autem est, regimen politicum non omnino cum ecclesiastico saeculo quarto consiprasse. (r) Quae quum ita sint, quodnam praesidium SIRMONDVS, MORINV, VALESIVS, SCHELSSTRATENIVS, BERTERIVS, PETRVS de MARCA, IACOBVS GOTHOFREDVS aliique suae sententiae in eo querere poterunt, quod ecclesiis in pluribus prouinciis ciilibus sitis praefuerint Romanus, Alexandrinus, Antiochenus Episcopi? Num

E 3

inde

(q) vid. IOSEPHI MOTTAE dissertatio de iure metropolitico
§. LXI. p. 89.

(r) conf. celeberrimi D. IO. IACOBI MASCOVII dissertatio de Primitibus & reliquis Episcopis Ecclesiae Germanicae
§. VII. p. 9.

inde sequitur illos fuisse Patriarchas? minime omnium. Non enim repugnat plures prouincias ciuiles esse vnam prouinciam ecclesiasticam. Planum facere debuissent, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum Episcopos tum temporis iurisdictionem iam habuisse in Metropolis Episcopos, adeoque pluribus prouinciis ecclesiasticis praefuisse. Quod numquam poterunt probare.

§. XXVII.

*Canon VI
Nicaenus de
Metropolitis
praecipuis
logitur.*

Ad ipsum Canonem Nicaenum VI. animum attendamus; & manifestum erit de metropolitis eumdem agere. Iam supra obseruauit (§. I.) M E L E T I V M huic canoni condendo occasionem aperuisse. At quid ille? Episcopos ordinabat. Iuris hoc erat metropolitici, non Patriarchici. Ut enim forma iuris Patriarchici in iurisdictione in Metropolitas praecipue consistit; sic Metropolitae potestas in iurisdictione in Episcopos sese potissimum exserit. Iccirco dum Alexandrini Episcopi iura canone sexto Nicaeno contra Meletianos ausus firmantur; iura eius metropolitica ibi stabiliri necesse est. Neque dubito, quin hoc ipsum ex ipsis canonis verbis probari queat. Quorsum enim haec canonis verba. Καθόλες δε προδηλων ἐκένο, ὅτι εἰ τις χωρις γνώμης τις μητροπολίτες γενοίτο Ἐπίσκοπος &c. nisi de Metropolitis eodem hoc canone ageretur? Minime me praeterit esse aliquos, in quibus etiam D V P I N, (s) qui te- neant, quum in antecedentibus huius canonis verbis patriarchalia iura Patriarchis fuerint vindicata; in fine canonis Nicaenos Patres etiam Metropolitarum priuilegia munire voluisse. Sed hoc vtique reliquorum canonum instituto videtur refragari. Etenim canone

quar-

(s) D V P I N l. c. p. 85.

quarto iam statuerant: τὸ δὲ κύρος τῶν γινωμένων δίδοσθαι
κατ' ἐκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Iccirco necesse
est, nisi inanem ταῦλολογίαν Patribus Nicaenis velis tri-
buere, canone sexto aliorum Metropolitarum iura de-
fendi. Et quinam alii essent, nisi quorum in ipso ca-
none, in eodem contextu, facta erat mentio, Romanus,
Alexandrinus, Antiochenus Episcopi? His in priori
canonis parte Nicaeni Patres omnia ἀρχαὶ εἴην iam vin-
dicauerant. Quare in posteriori canonis parte dicunt;
quum reliqua iura illis ut metropolitis iam sint concessa,
manifestum esse; eosdem etiam in ordinandis Episcopis
in omnibus prouinciis suis iura metropolitica habere.
Sic connexio sibi optime constat, & ipsum canonis in-
stitutum singulare; quod erat reprimere MELETII
ausus, qui inuito Alexandrino Episcopo in Aegypto
Episcopos ordinarat. Per se autem patet hosce Metro-
politas reliquis canonе quarto commemoratis auctori-
tate atque potestate antecessisse, quippe eorum iuris-
dictio in Episcopos integrae dioeceseos ciuilis se exten-
debat, aliis tantum in Episcopos vnius prouinciae ciuilis
potestatem habentibus. Quae tamen praerogativa tanti
non est; vt propterea Patriarchae sint habendi. Licit
enim Patriarchae pluribus prouinciis praeesse dicantur,
reciprocatio tamen hic locum non habet, nec argumen-
tari licet: ergo qui pluribus prouinciis, ciuilibus nempe;
praesest; ille est Patriarcha. Nam Episcopo Mediola-
nenſi & aliis iridem ecclesiae in multis prouinciis ciuilibus
parebant (§ I.) At enim uero illi contra quos dispu-
Mediolanensi & aliis eiusdem potestatis Episcopis Pa-
triarchica iura certissime denegabunt & pro metropolitis
habebunt. (1)

§. XXIX.

(1) vid. SIRMONDVS in Propemtico de suburbicarii region. &
ecclesiis lib. II. Cap. VIII. p. 257. seq.

§. XXIX.

Epicopus Romanus sub initium saeculi IV. Patriarcha Occidentis non fuit.

Originem erroris Sirmondiani aliorumque detexi. Quocirca propagines facile elidentur. Non agit Nicaenus canon, non agit Ruffiniana interpretatio de patriarchalibus iuribus; quomodo igitur aget de Patriarchatu Occidentis Episcopi Romani? Testata perulgata & confessares est ante tempora concilii Nicaeni illum Patriarcham Occidentis esse nondum potuisse. Nondum enim Occidens certa pars Imperii factus erat, nec dum certo prouinciarum numero definitus, certisque finibus circumscriptus. Quippe quum **C O N S T A N T I N U S M., L I C I N I O** interfecto, anno circiter 325. Imperio Romano solus praeesse demum coepit, Imperii distributio per IV. praetoria, & in Orientem atque Occidentem, ante illa tempora certo non euenit. (2)

§. XXIX.

Valesius refutatur.

Neque Graecorum testimonia umquam probabunt Occidentis Patriarcham fuisse Episcopum Romanum. In illorum tamen testimonio **H E N R I C U S V A L E S I V S** praecipuum argumenti sui robur collocat (§. VII.) Sed cum **S A L M A S I O** respondeo: *Itane Graeci? utrum antiqui ḥ orthodoxi, an recentiores illi ḥ schismatici? Zonoras, Nilus, Balsamo ḥ tota illa ceterua. Deus bone quid audio? Schismatici illi omnes sunt, ḥ tu his hominibus credis in determinanda Pontificis Romani dioecesi? hos testes adhibebis ad eam confirmandam? Dic nobis o catholicae religionis columen, o sedis apostolicae columna, dic nobis itane Tibi graeculi satis idonei videntur,*

(2) vid. Viri Amplissimi D. IO. IACOBI MASCOVII Geschichte der Teutschen lib. VI. §. XXVII. n. 1. p. 224. §. XXIX. pag. 227.

tur, Romanae dioecesos adsertores, quos unitatis Romanae desertores esse non ignoras, an expectas ut sedis illius auctoritatem afferant, a qua defecerunt? (3) Graeci defendebant nihil quidquam iuris esse Episcopo Romano in Orientis dioeceses. De eius igitur potestate in Occidente parum cogitabant. Idem in occidente Episcopo Romano ~~κατ' αὐτῶν~~ potestatem concedebant, quod hoc aduersus eos non tendebat. Quamobrem frustra sunt pontificii scriptores, quum Graecorum silentium interpretantur consensionem. Neque etiam **B A L S A M O** aliquis Episcopo Romano totius Occidentis ecclesias totidem verbis tribuunt; sed ecclesias occidentales. Nonne vero paucissimae ecclesiae in Occidente etiam sunt occidentales? (4) Et quid tandem probabunt Graecorum testimonia, quum recentiores sit scriptores, qui aetatem concilii Nicaeni non attingunt?

§. XXX.

I O. M O R I N I sententia (§. VI.) ex antea dictis Morinus
refutatur. per se iam corruit. Ad argumentum, quod ille praeter cetera vrget, sigillatim quod attinet. Non valet consequentia; occidens suburbicarius dici potuit; quoniam Romano imperio addictus fuit, ergo etiam ita appellatus est. A posse ad esse non valet consequentia. Non quaeritur quid suburbicarium dici potuerit; sed quid suburbicarium **R V F F I N I** aetate dictum fit?

F

§. XXXI.

(3) vid. **S A L M A S I I** Eucharisticon de regionibus & eccl. suburb. Parte poster. Cap. I. p. 210.

(4) **B A L S A M O** in Paraphr. Canonis VI. Nicaen. ὅτι, inquit, Οὐοὶ ναὶ ὁ Ἐπίσκοπος τῆς Πόμπης προέχει τῶν ἑορτῶν ἐπαρχίων. Quoniam inquit & Romanus Episcopus praefectus occidentalibus provinciis. Ita etiam canonem interpretatur **Z O N O R A S**. vid. **B E V E R E G I I** Pandectas Canonum T. I. p. 66.

§. XXXI.

*Quo sensu
Episcopo Ro-
mano mai-
ores dioeceses
tribuantur;
exponitur.*

Facile quoque euerti poterit E M A N . A S C H E L -
S T R A T E argumentatio, qua in primis probare adni-
titur Episcopum Romanum sub initium saeculi quarti
Patriarchatum Occidentis iam habuisse. (§. VIII.) Vi-
delicet frustra contendit concilium Arelatense I., ante
concilium Nicaenum habitum, Episcopo Romano
maiores tribuisse dioeceses. Quodsi enim hic locus
vel maxime genuinus esset, cuius tamen *γνωστη* mul-
ti in dubium vocant; nondum tamen inde consequi-
tur, Episcopum Romanum fuisse occidentis totius Pa-
triarcham. Nam stilo illorum temporum majores
dioeceses tenere nihil aliud erat, quam maioribus E-
piscopatibus praesse, & communibus Metropolis
antecellere. Hoc scite iam obseruauit & S C H E L -
S T R A T I I errorem profligauit celeberrimus Anglus
G V I L I E L M V S C A V E V S , (5) When, inquit, the
Synod at Arles in their letter to Pope Sylvester say, that
that he did maiores dioeceses tenere (a passage frequently
quoted by the Writers of the Roman Church) possess grea-
tes Dioceses; besides, that the place, as Salmasius ob-
serves, is very corrupt, an affords no current sense, 'tis
plain, that the word Dioces there cannot be understood of
Patriarchal Dioceses (Constantine not having yet made
the division of the Empire; nor Dioceses come up in a civil,
much less in an Ecclesiastical sense) and must therefore
be meant of single Bishopricks, in the modern use of the
word, and which was not unusual in those days, as is
evident from the Code of the African Church, and the
conference between the Catholicks an Donatists at Car-
thago

(5) WILLIAM CAVE *Anc. Church. Government. Cap. III.*
p. 129. 130.

thagō, were nothing is more common and obvious, than the usage of the word *Dioeces*, for a single Episcopal see; the place are too numerous to be reckon'd up. Vnicum tantum locum adducam ad stabiliendam C A V E I eruditissimam obseruationem. Videlicet in codice canonum ecclesiae Africanae can. CXIX. haec habentur verba: Περὶ τῆς ἑαυτῆς διοίκησης ἐξ αἱρέσεως ἐλευθερώσῃ Ἐπίσκοπος, καὶ περὶ τριετίου κατάσχη μηδένα τόντην αἰωνίην. (6) Vbi vox *dioikēsis* de Episcopatu certo accipitur. Neque est cur dubitemus in Synodo Arelatensi hoc sensu vocem dioecesis intelligi oportere; quum 1. diuisio Imperii in dioeceses a CONSTANTINO M. tum temporis nondum esset facta & 2. ex controversiis notissimis, quas non ita multo post inter se Africana ecclesia & Episcopus Romanus habuere, satis patescat Africanam ecclesiam Episcopum Romanum nullo modo superiorem agnouisse. Id quod de reliquis etiam Occidentis dioecesibus facile probare possem, nisi vererer ne acta agerem. (7)

§. XXXII.

Potuit igitur R V F F I N V S canonis VI. Nicaeni mentem expressisse, si vel maxime voce suburbicariorum ecclesiarum omnes Occidentis ecclesias non denotat & comprehendit. Quum supra iam probaverim (§. XXII.) vocis *suburbicarii* significationem esse tantum vnicam & determinatam, quod etiam SIRMONDVM, VALESIVM aliasque ferit; facilis erit demonstratio, suburbicarium occidentem numquam posse

F 2 tuuisse

Vox suburbicarii Occidentem non denotat.

(6) vid. *Canones eccles. Africanae ex edit. IVSTELLI* p. 29. & 309.

(7) conf. I O S. BINGHAMVS *Orig. Ecclef.* Vol. III. lib. IX. cap. I. §. XII. p. 401. l.

tuuisse appellari. In Codice Theodosiano (8) statuitur, ut decretum in gratiam Africae Proconsularis latum; locum etiam habeat in prouinciis suburbicariis. Opponuntur igitur omnes suburbicariae regiones Africæ proconsulari; quae erat in Occidente. **VALENTINIANVS, VALENS & GRATIANVS A. A. A.** in Rescripto ad Maximinum Vicarium vrbis A. CCCLXXI. dato ex quo, inquit, oritur vt Vrscino, quem propter quietem populi Christiani, & debitam religioni ac legibus disciplinam, uno interim loco morari **INTRA GALLIAS** iusséramus, discedendi copiam fecerimus, ne vagandi arbitrium präberemus, neve ad urbem Romanam vel regiones **SVBVRBICARIAS** valeat commanere. (9) Veluti insignem gratiam **VALENTINIANVS** concedit Vrscino, vt e Gallia excedat. Sed finge cum **MORINO** aliisque suburbicarias regiones esse totum Occidentem; nonne fareri nos oporteret, ea lege concessum tuuisse Vrscino Galliam relinquere, ne pedem in Occidentem inferat. Quae certe gratia summi supplicii loco habenda esset. Itaque nullo modo suburbicariae prouinciae & per consequens ecclesiae omnes Occidentis ecclesiæ poterunt denotare. Imo tantum abest ut suburbicariae sint omnes Occidentis prouinciae, ut ne quidem omnes Italiae prouinciae suburbicariarum nomine venire queant. Disertis verbis hoc docent **VALENTINIANVS & VALENS** in Rescripto ad Mamertinum Praefectum Praetorio Anno 365. dato *Tabulariorum*, inquiunt, *fraudes se resecasse per SVBVRBICARIAS regiones, V.C. Anatolius, Consularis, missa*

(8) COD. THEODOS. lib. VIII. Tit. V. leg. XXXIV.

(9) Deprehendas hoc Rescriptum in **BARONII** annalibus ad ann. 371. n. I. p. 291.

missa relatione testatus est, quod pabula, quae hactenus ex eorum voluntate atque arbitrio, ad mutationes manstionesque singulas, animalibus cursui publico deputatis, repente atque improuise solebant conuehi, nunc in consilio ratione tractata, pro longinquitate vel molestia itineris, ab unoquoque oppido, certo ac denuntiato tempore, deuehi ordinavit. *Quod iubemus, ut etiam per OMNES ITALIAE regiones pari ratione seruetur.* (10.)

§. XXXIII.

DE PHILIPPO BERTERIO & PETRO de MARCA etiamnunc verba quaedam facere debeo. Hi etsi in eo reliquis praestant, quod ecclesiis suburbicariis de Patriarchatu Occidentis haud explicant; a recta tamen via aberrant, quod de patriarchali dioecesi Ecclesiis suburbicarias fuisse sibi persuadent. Etenim ex dictis iam constat, tempore Concilii Nicaeni Episcopum Romanum aliquam Patriarchalem dioecesin nondum habuisse. Sigillatim PETRVS de MARCA Episcoporum ordinationes Patriarchici iuris esse, ideoque Episcopi Romani dioecesin, in qua Episcopos ordinari comparari commode potuisse cum Alexandrini Patriarchae dioecesi, qui in integro suo Patriarchatu Episcopos ordinari, perperam tueri mihi videtur. Nam Metropolitae est officium Episcopos ordinare, & in Episcopos ius dicere; secundum canonem IV. & VI. Nicaenum. Illustris quidem SALMASIVS (II) &

F 3 celeber-

Patriarchae
non esse Epis-
copos ordi-
nare contra
Petrum de
Marca ur-
getur.

(10) vid. COD. THEODO S. lib. XI. Tit. I. de leg. IX. de trans-
uect. annonae.

(II) vid. SALMASIVS in Eucharist. de region. & eccles. suburb.
Parte poster. Cap. I. p. 263.

celeberrimus B. IO. GVIL. IANVS (12) cum nonnullis aliis obseruant, hoc fuisse singulare priuilegium Romani & Alexandrini Patriarchae, quod praeter Metropolitas etiam Episcopos in sua dioecesi ordinarent. Sed quum non videam quo canone hoc iisdem sit concessum, nec quo argumento idoneo idem corroborari possit; hanc obseruationem tantum veram esse puto de vna dioeceseos prouincia cui metropolitico iure itidem praeerant. Neque enim consentaneum videtur Alexandrino & Romano Patriarchae, qui praecipui Nicenorum canonum custodes esse debebant, tale priuilegium concedi potuisse, quod Nicaena statuta quibus omnia Metropolitanorum priuilegia confirmantur, manifesto euertit. Procul dubio erronea haec opinio inde originem ducit; quod sub initium Alexandrinus & Romanus Episcopus eiusdem dioeceseos fuit Metropolita, cuius deinceps euasit Patriarcha. Quum enim tempore concilii Nicaeni tantum esset totius Aegyptiacae dioeceseos Metropolita; vtique omnium Aegyptiacorum Episcoporum ordinatio ad eum pertinuit. Sed vbi Metropolitis in vna eademque dioecesi iure patriarchico praeesse coepit; Episcoporum prouincialium, si a quibusdam Episcopis *αὐτονεφαλοις* discedas, ordinandorum ius ad illi subditos metropolitas sine villa dubitatione deuolutum est.

§. XXXIV.

De reliquo, vt quid de PETRI de MARCA sententia de ecclesiarum suburbicarum numero cogitem,

*Quid in
Marcae ar-
gumentis de-
fideretur,
exponitur.*

(12) vid. B. IO. GVILIELMVS IANVS in dissertatione de origine Patriarcharum Christianorum Vitemb. 1718. habita §. XVII. p. 22.

gitem, promam, ab ea adeo me alienum non profiteor. Illud autem desidero, quod eamdem argumentis idoneis haud firmauerit. Sane obseruatio, illas loquutiones: ad alicuius concilium & ad alicuius ordinationem pertinere, esse synonymicas vniuersaliſ mihi non videatur. Defendit PETRVS de MARCA alibi, Episcopum Romanum ut Patriarcham omnis etiam occidentis Episcopos ad concilium vocare potuisse. Sed num idem concedet Episcopum Romanum omnes occidentis Episcopos ordinasse? Taceo ad ATHANASIVM eum perperam prouocare. Is enim non solum Episcopos decem prouinciarum sub Vicario vrbis; sed totius Italiae & multarum quoque Occidentis prouinciarum Episcopos Concilio Sardicensi interfusse diserte commemorat.

§. XXXV.

Vt vim concludendi non habent PETRI de MARCA de ecclesiis suburbicariis ratiocinia; ita etiam robur desiderabis in IAC. GOTHOFREDI argumentis, quibus suam de his ecclesiis sententiam propugnat. Persuadet sibi GOTHOFREDVS, quod, dum sibi opponantur suburbicariae regiones & Italia; ex Italiae notione de veris suburbicariarum regionum terminis omnium optime iudicari possit. Sed dubito an hac ratione de ecclesiis suburbicariis disputatio felicissime omnium instituatur. Omni dubitatione care opinor Italiam triplici respectu accipi. Aut enim Italia vniuersas Italiae regiones vna cum ipsa vrbe & eius territorio denotat. Aut specialius omnes regiones quae sunt extra centesimum significat. Etenim CONSTANTINVS M. in Rescripto ad Bassum P.P. Placuit, inquit, ad interponendam contestationem in vrbe

Gothofredus
refutatur.

urbe Roma, usque ad anni tricesimi extreum diem spatia prorogari, & intra CENTESIMVM VRBIS ROMAE MILIARIVM, si tamen ab his iudicibus qui Romae sunt, fuerit iudicandum: Per omnem vero ITALIAM, usque ad finem vicecesimi & noni. In ceteris omnibus prouinciis, usque ad completum annum vicecesimum & octauum. (14) Specialiori adhuc sensu Italiae vocem accipit ATHANASIVS, vbi nominatim percenset omnes prouincias ex quibus Episcopi ad synodus Sardicensem conuenerunt. Postquam enim XXII. prouincias enumeraisset; pergit: Ιταλίας, Πιννε, Τεσκιας, Καιμαρίας, Καλαζοίας, Απελίας atque ita porro. (15) Prouinciae quae hoc loco ab Italia separantur, omnes erant prouinciae Vicario Vrbis parentes. Probabile itaque est per Italiam hoc loco intelligi dioecesin Vicarii Italiae septem prouincias comprehendentem. Quae quum ita sint, facile patescit, quod, dum Italia & suburbicariae regiones sibi inuicem opponuntur, ex Italiae notione eruta de suburbicariarum regionum numero statui non possit. Nam vbi de Italiae notione constat, etiamnunc quaestio valde indeterminata manet; quum, vt modo exposui, ab Italia trifariam distinguantur regiones. Immo non repugnat, quo minus unumquodque Italiae oppidum, si de illo sigillatim sit sermo, Italiae opponatur. Non leue quidem praefidium querit GOTHOFREDVS in obseruatione sua: a CONSTANTINO M. Italiae Centesimum; ab Imperatoribus autem CONSTANTINO M. iunioribus suburbicarias régiones Italiae opponi; adeoque ab illo tempore hanc oppositionem in illius locum

(14) vid. CODEX THEODOSIANVS l. 2. de in integr. restit.

(15) vid. ATHANASIVS Tom. I. oper. p. 155. edit. Mon. Bened.

locum concessisse. Sed hanc obseruationem suam quomodo tuebitur? Neque enim sufficit ad probationem theseos; regiones intra Centesimum & suburbicarias esse synonyma; quod hoc loco regiones intra Centesimum, alio suburbicariae Italiae opponantur. Oportet loca sint parallela, tale quid euictura. Praeterea illud mirandum non est post CONSTANTINI M. tempora suburbicarias regiones demum commemorari; quum CONSTANTINVS M. deum Vrbis Vicarium constituerit. A quo suburbicarias regiones, & per consequens ecclesias nomen traxisse sectione tercia demonstrabo.

§. XXXVI.

Ordo requirit ut exponam, quid mihi in DV
PINII sententia (§. XX.) iure reprehendi posse videatur. Obseruat ille Ruffinianam interpretationem de Patriarchali Episcopi Romani dioecesi loqui non posse; & tamen certum esse Alexandrinum Episcopum, qui cum Romano comparatur, Episcopis in pluribus prouinciis praefuisse. Ex quo concludi putat & confici, Ecclesias suburbicarias esse Primationam Episcopi Romani dioecesin. At vero ita perperam infert. Iam supra demonstravi (§. XXVI.) euenire vtique posse, ut Episcopus metropolitico iure iurisdictionem in plurium prouinciarum, ciuilium nempe, Episcoposhabeat. Quam ob rem DV PINIVM negare non oportebat RVFFINVM de Alexandrino, Romano & rel. ut de Metropolitis loqui, quoniam illis Episcopi in pluribus prouinciis parebant. Praeterea a recta via aberrat DV PINIVS, quod Exarchos sive Primates, ut singularem Episcorum or-

*Da Pinius
a recta via
aberrat.*

G dinem,

dinem, a Metropolitanis & Patriarchis distinguit. Ex variis conciliorum decretis (16) constat potestatem Patriarchae propriam fuisse Metropolitanos ordinare, atque in eos ius dicere; sicut Metropolitanae officium fuit Episcopis praeesse. Iam queso quomodo Primates medium inter Patriarchas & Metropolitas gradum habere potuerint; quum Patriarchis immediate Metropolitae essent subiecti? Sed ipse DV PINIVS sibi non constat, & alibi recte se ipsum refutans Primas, inquit, *is dicitur, qui primum ac praecepsum locum alicubi obtinet.* (17) Potest igitur metropolita, potest Patriarcha Primas dici; diuerso tamen vtique respectu.

§. XXXVII.

*Salmasius
nimis a Sir-
mondo rece-
dit.*

Venio nunc ad tertiam classem scriptorum; qui de Ecclesiis suburbicariis iudicium suum exponentes RUFFINI interpretationem admittunt. Illos puto, qui de Metropolitica Episcopi Romani prouincia nomen ecclesiarum suburbicariarum interpretantur. Bene multi fuga erroris in errorem prolabuntur; quia persuasum habent a periculo errandi se tutiores futuros; si ab errore recedant quam longissime. Idem euennisse opinor illustri viro CLAUDIO SALMASIO, & illis, qui eius vestigia sequuntur. Dum enim SIRMONDI aliorumque sententiam, qui suburbicarias ecclesias per vniuersi Occidentis ecclesias explicant, rectissime repudiant; ipsi tamen breviori quam par erat spatio intra

(16) V. B. IO. GVL. IANI dissert. de orig. Patriarch. §. XVII. p. 21. seq.
BINGHAMVS l. c. lib. II. Cap. XVII. §. XII. seq. p. 249. seq.

(17) DV PIN. l. c. diff. I. §. 2.

intra Centesimum ab urbe lapidem suburbicarias ecclesias coercent. Cuius quidem rei caussam etiam inde deriuandam existimo, quod non satis distinctam de metropolitica aliqua Episcopi prouincia notionem habent. Videlicet perperam tenent, oportere Episcopi metropoliticam prouinciam necessario prouinciae alii cui ciuili respondere. Quem quidem errorem quum supra iam profligauerim, (§. XXVI.) per se etiam patet omni nexu carere primum **S A L M A S I I** argumentum: (§. XIV.) territorium Praefecti Vrbis ad Centesimum dicitur suburbana prouincia; Ergo ad Centesimum tantum patuit Episcopi Romani Metropolitica prouincia. Sufficiat illi opponere, quod ciuilis prouincia ecclesiasticae haud quaquam semper respondeat.

§. XXXVIII.

Neque aliquid probant a **S A L M A S I O** productae variae Nicaeni canonis interpretationes. (§. XV.)
Ut enim earum dubia & iunior aetas omnem probandi vim iis adimit; sic **S A L M A S I V S** male concludit:
Proxima
non semper
sunt quea in-
tra Centes-
mum.]
Interpretes nonnulli canonis Nicaeni suburbicarias ecclesias, a **R U F F I N O** commemoratas, per proxima explicant. In aliquo Rescripto *in proximis & intra centesimum* pro synonymis habentur. Ergo ecclesiae suburbicariae dum sunt in proximis Vrbis; sunt intra Centesimum. Quo enim argumento tuebitur **S A L M A S I V S** tum temporis illa *tantum* proxima appellata fuisse, quae intra Centesimum? Proxima dum dico, non adeo accurate distantiam definio. Interdum enim maius, nonnumquam minus interullum designare poterit. Iccirco si vel maxime euicisset **S A L-**

MASIVS, suburbicarias ecclesias proximas Vrbi fuisse, inde tamen illarum situm exakte nondum determinare, multo minus intra Centesimum fuisse probare posset.

§. XXXIX.

*Eiam extra
Centesimum
sunt subur-
biculariae.* Maioris ponderis videtur aliud SALMASII argumentum; quod ex Imperatorum Rescriptis praecipuum momentum trahit. (§. XVII.) Ad tria Rescripta prouocat contra Vrsicinum Schismatis auctorem publicata. In eorum uno, a VALENTINIANO, VALENTE & GRATIANO A. A. A. ad Vicarium Vrbis Romae Maximimum dato, praecepitur; ne Vrsicus suburbicarias regiones intret; in alio ab iisdem Imperatoribus ad Ampelium Praef. vrbis dato idem decernitur. (81) Id quod SALMASIVS rectissime tradit. Sed fallitur omnino quod fibi persuadet in tertio Rescripto a GRATIANO & VALENTINIANO A. A. ad Aquilinum Vicarium ordinariorum, A. CCCLXXXI. secundum BARONIVM, dato iuberi: ne intra Centesimum venire Vrsicino licitum sit. Conqueruntur quidem Imperatores ibidem Vrsicini amentiam: En ipsa illorum verba: *Vrsicinum, inquietus, quidem Galia coercet, & ne motus aliquos inquietos exerceat, cobibet Agripina secessio. Quem tamen ipsum per occursantes obtundentem saepius quam monentem, ad hoc ut sequentes abiiceret audivimus.* (†) Non negauerim itaque, Vrsicinum

(81) Legas haec Rescripta apud BARONIVM in annal. ad ann. 371. n. 1. p. 291 edit. Colon.

(†) Ex hisce verbis coniicias BARONIVM a recta via forsitan aberrat.

sicinum huic Rescripto aliquam occasionem praebuisse atque effecisse; ut Imperatores in Schismaticos seuerius animaduerterent. Sed illud salsum est quod in Vrscinum hoc edicto animaduertant. De Florentio potius Puteolano & Claudiano schismaticis sigillatim agit imperatoria constitutio. De his enim sermo est; quando dicunt: *Posthaec nisi omnes (vt nominatum ius-
fionis nostrae summa complectitur, vel quos turbas istius-
modi molientes sanctorum Episcoporum concilia consensu
ostenderint) ultra centesimum milliarium ab Urbe depu-
leris, atque eorum ciuitatum finibus extorres esse pree-
ceperis, quarum plebem, vel Ecclesias, vel per se, vel
per simile sui vulgus exercent: praeter aestimationis in-
juriam, cuius apud bonos non leuis iactura est, piaci-
lum neglectae sanctionis incurres.* (19) Nihil aliud igitur ex Rescriptis, ad quae SALMASIUS prouocat, sequitur, quam intra Centesimum fuisse suburbicarias regiones, & per consequens ecclesiias. Si enim aliter se res haberet & Praefectum urbis, cuius iurisdictio ad Centesimum tantum patuit, nullas litteras dedissent Imperatores, quibus suburbicariis regionibus interdicatur Vrscino. Non autem ex hac constitutione concludas, quod nullae fuerint extra Centesimum suburbicariae prouinciae. Quid responderes, SALMASI, si ex iisdem a Te allatis documentis euincere, omnes

G 3 decem

aberrare, quod hoc Rescriptum ad annum 381. referat, quum in eodem dicatur: *Vrscinum Gallia coeret; ex Rescripto au-
tem A. 371. Vrscini causa dato constet; iam tum Vrscinum Imperatorum concessu & beneficio e Gallia exire potuisse* (§. XXXII.)

(19) vid. hoc Rescriptum apud BARONIVM ad ann. 381. n. 4.
n. 5. p. 452.

decem prouincias Vrbis Vicarii fuisse suburbicarias? Etenim vt Imperatores Vrsicinum suburbicariis regionibus arceant, litteras etiam dant ad Vicarium vrbis. Immo iubent, vt omnium quibus praefest vrbium ciuibus hoc suum decretum notum faciat. (20) Igitur prouinciae illae suburbicariae, ad quas accedere permisum non erat Vrsicino, erant decem prouinciae, quibus Vrbis Vicarius praeerat. Sed de hoc arguimento sectione tertia pluribus edisseram.

§. XL.

*Intra Centrum fuit
Episcopalis
Iurisdictio
Ep. Rom.*

Supereft argumentum, quod **SALMASIVS** ex nativa vocis *suburbicarii* significatione dicit. In quo quidem argumento duo potissimum reprehendo. Etenim 1) qualis est nexus in hac propositione. Nemo dicit prouincias sub Praefide constitutas subpraefidales; ergo absonum est dicere suburbicarias regiones inde nomen habere, quoniam Vrbis Vicario paruerunt? Si quis ideo quia in Notitia Imperii decem prouinciae Vrbis Vicario adsignantur, licet vox suburbicariarum regionum in veterum scriptis non effet obvia, vellet concludere; illas decem prouincias suburbicarias fuisse appellatas; is turpiter se daret. Eiusmodi enim deriuationes ex vñ omnes sunt diiudicandae. Sed quum suburbicarias regiones in veteribus documentis deprehendamus nominatas, quidni coniiciamus quoniam *sub Vrbis Vicario* erant, illas *suburbicarias* appellari? Etsi hoc argumentum solum rem omnem non conficere lubens do & vltro confitor. 2) Maximopere miror **SALMASIVM** tanto-

pere

(20) conf. **BARONIVS** ad ann. 371, n. 1, p. 296.

pere elaborare, vt intra centesimum, siue quod idem est, intra territorium urbis (21) suburbicarias ecclesias coercent, quum tamen idem compluribus locis aperte profiteatur; R V F F I N V M per suburbicarias ecclesias metropoliticam Episcopi Romani prouinciam definire. Sane non oportebat tantum virum ignorare, territorium urbis non ad metropoliticam, sed ad Episcopalem potestatem pertinere. Res manifesta est. Canone XXXIV. Apostolico statuitur: ἐκεῖνος δὲ μόνα πράττειν ἔκαστον Ἐπισκόπον, οὐα τῇ ἀντε παροιᾳ (22) ἐπιβάλλει, κομ ταῖς ὑπὸ αὐτην χώραις. (23.) Ad morem in ecclesia receptum provocant Antiocheni Patres, & praecipiunt: ἔκαστον ἐπισκόπου ἐζεύγιαν ἔχειν της ἑσυτε παροιας, διοικειν τὸ κατὰ την ἑσυτὴν ἐπιβάλλεται ἐν λάθειαν κομ προνοιαν ποιῶντας παστος τῆς χώρας τῆς ὑπὸ την ἑσυτε πόλιν. (24) Episcopus igitur & urbis, & vna urbis territorii erat Episcopus.

§. XLI.

(21) Territorium Urbis & intra Centesimum idem fuisse aperte testantur verba Rescripti §. XXXIX. citata: *Pofibae*nisi omnes ultra Centesimum ab Urbe dispuleris, atque eorum ciuitatum finibus extorres esse praeceperis & rel.** Idem multis argumentis h. l. non repetendis communiqueret *IAC. GOTHOFREDVS Coniect. de reg. & eccle. suburbicariis Diff. I. Cap. II. p. 13. & Cl. SALMASIUS Eucharist. de reg. & ecc. suburb. P. I. Cap. I. p. 3. seq.*

(22) *Paroikia* h. l. non est una quaedam certorum hominum congregatio; prout nunc quidem vox illa accipi solet; sed silio primorum saeculorum denotat ciusmodi territorium, quod Episcopus una cum Presbyteris suis gubernat. Id quod pluribus docet *IOSEPHUS BINGHAMVS orig. Eccles. lib. IX. cap. II. §. I.*

(23) h. e. Illa autem sola facere unumquemque Episcopum, quae ad suam parochiam pertinent, & pagos qui ei subsunt, vid. *BEVEREGLIVM* in Pandectis Canonum T. I. p. 22.

(24) h. e. Vnumquemque Episcopum habere suae paroeciae potestatem, & administrare pro vnicuique conueniente religione, & totius regionis quae suae urbi subest, curam gerere. vid. *BEVEREGLIVS* in Pand. Canonum T. I. p. 438.

§. XLI.

Picenum annoarium cum Flaminia ad suburbicas regiones non pertinet.

Meliorem, quam quidem SALMASIVS, de ecclesiis suburbicariis fouet sententiam vir illustris IUSTVS FONTANINVS, nunc Archiepiscopus Aneyranus. Illud tamen me male habet, quod vir doctissimus praeter decem prouincias Vrbis Vicario parentes, ad suburbicas etiam Picenum annonarium vna cum Flaminia temere referat. Putauerim ex perpetua oppositione, in veterum monumentis vbiuis obvia, inter Picenum annonarium & suburbicarium, satis luculenter constare, Picenum annonarium a suburbicariis regionibus sciungi, eiusque ecclesias a suburbicariis separari debere. Quod etiam de Flaminia iudices. Quippe quae cum Piceno annonario pro vna eademque prouincia habebatur. (25) De Z. B van ESPEN, aliorumque sententia nihil habeo quod moneam, quum nullis argumentis positionem suam robore & constabilire connitantur.

§. XLII.

Dissertationi finis imponitur.

Atque haec sunt quae de diuersis variorum scriptorum de ecclesiis suburbicariis opinionibus iudicanda arbitror. Non dubito quosdam me tacitum praeterisse, qui in definiendis ecclesiis suburbicariis pariter elaborarunt. Etenim ALEANDRI, IO. DARTIS aliorumque de hac materia commentationes oculis mihi subiicere & manibus versare non licuit. Conicio tamen praecipuas de Ecclesiis suburbicariis sententias

(25) vid. Notitiam vtriusque Imperii apud SCHELSTRATE NIVM Antiq. Ecccl. append. p. 633.

tentias hac disputatione me excusisse & ad stipulatoribus satis fecisse. Existimo enim e §. II. patescere plures opiniones de iisdem ecclesiis vix posse excogitari, praeter eas, quas in medium iam protuli & ad veritatem reuocau. Nunc lectoris beneuoli expectatio postularat, ut ipse mentis meae sensa de suburbicariis Ecclesiis ultimo loco explicem atque ante oculos exponam. Sed temporis spatio excludor, quo minus in stadio, quod ingressus sum, pergam decurrere. Vertentibus autem aliquot mensibus telam, quam coepi texere, Deo iuante, pertexam, posteriores huius Commentationis sectiones diuulgaturus, & in momentum omnis controuersiae de Ecclesiis suburbicariis sollicitius inquisitus.

Praecipuos festinantis preli errores

B. L. ita emendet.

p. 8. versu 21. constabat l. constaret p. 17. v. 10. loco Praefecto l. loco Praefecti p. 18. v. 17. Episcopum l. Episcoporum p. 21. v. 13. Exaratus l. Exarchatus p. 23. v. 19. suburbicaris l. suburbicarias p. 30. v. 23. alii l. ali p. 32. v. 16. suburbicarii l. suburbicarii.



THESES

THESES DISPVTANDI GRATIA PROPOSITAE

Ex Cosmologia.

- 1.) Facilius probabis Te animam quam corpus habere.
- 2.) Ex Idealistis Egoistae Pluralistis cautores sunt.
- 3.) Si vel maxime realem corporum existentiam probare nequeas ; rectissime tamen dices : Idealistas turpiter sedare.

Ex Theologia Naturali.

- 4.) Negare Deum insanientis , vnice credere tardi, scire sapientis ingenii est.
- 5.) Probata prius entis perfectissimi possibilitate, ex entis perfectissimi notione eius existentiam facillime demonstrabis.
- 6.) Non sine aliqua limitatione admitti posse videtur theorema metaphysicum : (†) Quaecunque in ente perfectissimo possibilia sunt, actu eidem inesse debent.

(†) vid. celeberr. THVMIGIT Institut. Philos. Wolfianae
Ontolog. §. 81. Th. Natur. §. 86. 87.



155 186




56

AB.155.186

9/16/186





Q. D. B. V.
COMMENTATIO
HISTORICO - ECCLESIASTICA
DE
ECCLESIIS SVBVRBICARIIS.

CONSENSU
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
LIPSIENSIVM ORDINIS,
PRAESES
CHRISTIANVS KORTHOLTVS A. M.
KILONIO - HOLSATVS,
HORIS ANTEMERIDIANIS SINE RESPONDENTE,
A MERIDIE AVTEM
RESPONDENTE
IOANN. GEORGIO WALTHERO,
MARGLISSA - LVSATO,
PROPALAM TVEBIT VR.

LIPSIAE, DIE VIII. IVLII ANNI SAECVLARIS CIO 10CC XXX.

LITTERIS BREITKOPFIANIS.